AUTHOR:

PREHN, BRUNO

TITLE:

QUAESTIONES PLAUTINAE

PLACE:

VRATISLAVIAE

DATE:

1916

Master Negative #

92-80664-10

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87PD
Z8
v.7

Prehn, Bruno, 1893-
Quaestiones Plautinae. Dissertatio...quam... conscripsit Bruno Prehn... Vratislaviae, Nischkowsky, 1916.
88 p. $22\frac{1}{2}$ cm.

Thesis, Breslau, 1915.

Volume of pamphlets

349493

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11 x
IMAGE PLACEMENT: IA [IIA] IB IIB
DATE FILMED: 8-7-92 INITIALS MT
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Quaestiones Plautinae

Dissertatio inauguralis philologica

quam consensu et auctoritate amplissimi philosophorum ordinis ad summos in philosophia honores in Universitate Friderica Guilelma Silesiaca rite impetrandos conscripsit

Bruno Prehn
Brandenburgensis

Idem disseret
die XIII mensis Septembris anni MCMXVI
hora XII in aula Leopoldina
de tabulis Pompeianis 253/5 H., 119 S.:
Milanion et Atalante

Vratislaviae
Apud R. Nischkowsky
MCMXVI

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulit
Guilelmus Kroll.

Examen rigorosum habitum est die XXVI mensis Quintilis.

Guilelmo Kroll
Sacrum

Argumentum.

Caput I.

Qua ratione explicandae essent stili differentiae atque dissimilitudines, quas inter fabulas Terentianas et Plautinas apparere nemo non videt, multi critici quaesiverunt. Et est quaestio difficillima. Uterque enim, ut palliatae fabulae poeta, νέας κωμῳδίας exemplaria suum in usum convertit[1]), ut eadem fere argumenta apud utrumque invenirentur. Sed fabulas Terentii optime moratas, diligentissime, quod pertinet ad singularum scaenarum proportionem, compositas, summae urbanitatis plenas iudicamus, repperimus vero apud Plautum saepissime ἄνω κάτω πάντα et scurrilia quaedam mirum in modum immixta; et ut Terentius lyricis metris rarissime usus est, ita Plautus cantica saepissime in fabulas inseruit et in quibusdam unamquamque personam cantantem induxit.

De canticis Plautinis Fridericus Leo disseruit libro illo saepissime laudato: Die plautinischen Cantica und die hellenistische Lyrik, Berlin 1897, cuius est finis, Plautum metra lyrica νέας fabulis inusitata suis in fabulis admisisse exprimentem paegnia illa mimica, quibus hellenisticae aetatis homines gaudebant, quae nos „Chansons“ dicimus[2]). Quamquam Leo ipse postea concessit[3]) embolia quaedam lyrica iam inseruisse poetas νέας ipsos,

[1]) Persam quidem Plautinam ad exemplar *μέσης*, quam vocant, revocandam esse constat. Sed praeter eam etiam ceterarum unam alteramve Graece a *μέσης* poeta conscriptam esse verisimillimum est, cum poetae quidam *μέσης* usque ad finem quarti saeculi et ultra vixerint fabulasque scripserint. Itaque comoediae Atticae magis mihi arrident bipartitae.

[2]) cf. etiam, quae annotaverunt Wilamowitzius N. G. G. 1896 phil.-hist. p. 232 et Crusius, Philol. 55 (1896) p. 384.

[3]) cf. Pl. F.[2] p. 227 adn. 3 de nota *χοροῦ*; repetit ea, quae iam Herm. 43 (1908) p. 308 ss. exposuerat: „eine andere Art des Intermezzos erscheint nach dem ersten Akte der Mostellaria (Philemon.); auch hier sind es *κωμάζοντες*, die ein lyrisches Zwischenspiel aufführen, aber handelnde Personen, deren Reden zum Stück gehören. Dies stammt sicher aus dem Original.“ Etiam scaenarum IV, 1; IV, 2 lyricam compositionem ad Philemonem redire monet.

tamen ea, quae posuerat, plerisque probavit, cum fragmenta Menandrea nuperrime in Aegypto reperta ea confirmare viderentur.

Qua de sententia quidquid existimas, ea sane moti critici quidam etiam de artificiis illis scurrilibus, quae Plautus adamavit, iudicia fecerunt, quamquam singillatim de eis nemo adhuc quaesivit. Velut Leo et alibi[1]) et eis, quae de altera Casinae Plautinae parte disseruit[2]), alteram quaestionem, quid de lyricis metris apud Plautum statuendum esset, cum altera, quid de artificiis illis scurrilibus, commiscuit. Hunc fere in modum argumentatur: Casinae alteram partem canticis repletam esse; eam non iam esse comoediam, sed ludum scurrilem eius modi, quem nos „Posse" appellamus; Plautum exemplar Graecum commutavisse ex prologi versibus apparere; ita verisimillimum esse una cum metris lyricis etiam argumentum alterius partis Plauto ipsi deberi; itaque coniecit, quamquam in compositione quidem fabulae ipsius nihil inesse offensionis non negavit[3]), Plautum in altera parte non Diphili Clerumenos sed ludos illos populares, quos Magna in Graecia floruisse constat, secutum esse[4]). Ob stilum igitur satis scurrilem, ut ita dicam, alterius partis Leo totam fabulam Diphilo, νέας poetae, adscribendam non esse censet!

Eodem modo iam ante quam monodia illa querentis puellae quae vocatur edita esset, Stichi finem a Menandro abiudicaverat,

---

[1]) cf. Pl. F.^{2} p. 109 de nominibus apud Plautum: daß das Schwelgen in neuen und absonderlichen Bildungen nicht menandrisch, sondern plautinisch ist, ist nicht zu bezweifeln; es verhält sich zur Namensgebung der ν. κ. wie die plautinische Polymetrie zur Einfachheit der menandrischen Metra.

[2]) cf. Pl. C. p. 105 ss.; Ladewigium (Rh. M. 3 (1845) p. 186 ss.) secutus est.

[3]) cf. ea, quae Leo, cum ageret de Pseudolo Plautina (N.G.G. 1903 phil.-hist. p. 353), scripsit: „Die Zerlegung muß sich dort (Casinam dicit) mehr auf allgemeine Erwägungen als auf die Analyse des einzelnen stützen."

[4]) Idem contendit A. Dieterich, Pulcinella Lps. 1897, qui modo reperta monodia illa querentis puellae haec scribit, p. 85 adn. 1: Wie die plautinische Komödie in den cantica griechische, doch wohl unteritalische Stücke übersetzt, ist durch einen Papyrusfund . . . nunmehr wieder deutlich zu erkennen! Wie viele, wenigstens kleine Züge der plautinischen Komödie werden auch auf den Atellanen-Kenner und Spieler zurückzuführen sein. — Ceterum iam antiquos criticos non fugit necessitudinem aliquam interesse inter Plautum et ludos scurriles Doricos, cf. Hor. ep. II, 1, 58: Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi, qui versus Varronis doctrinam exprimunt (Goetz.-Schoell. testim. No. 58 Varro de poetis libro I apud Priscianum IX 32 p. 469, 9 H: deinde ad Siculos se adplicavit).

cum et nimis scurrilis esset nec arte cohaerere videretur cum ceteris fabulae partibus[1]). Nec aliter Wilamowitzius eum alienum esse a Menandro elegantissimo poeta existimat[2]). Guilelmus Kroll quoque, praeceptor meus benivolentissimus, cum utroque consentiens fabulam pro contaminata habet et tantummodo dubitat, utrum ex duobus exemplaribus Graecis contaminata sit an ex tribus[3]).

Krollius etiam Bacchides contaminatam esse verisimile putans notat ultimae scaenae stilum nimium scurrilem[4]).

Quae cum ita sint, cui ab re esse videatur accuratius inquirere in quaestionem gravissimam, quid de scurrilibus illis apud Plautum artificiis statuendum sit! Quod suscipere ego mihi proposui[5]).

Sed incitavit me ut omnino ad studia Plautina colenda ita ad hanc quaestionem tractandam praeceptor meus libello quodam manuscripto, quem inscripsit „Komödie und Posse".

Hodie apud criticos valet opinio, qua omnes fere ducuntur, Terentium ad verbum transtulisse fabulas Graecas, Plautum minime; Plautum ingenio suo fretum in eis Latine vertendis

---

[1]) cf. Pl. F.^{1} p. 152 = ^{2} 168 et N.G.G. 1902 phil.-hist. p. 375/391, qua commentatione Stichum tribus ex exemplaribus Graecis contaminatam esse ponit.

[2]) N.I. 1899 p. 515. Postquam de Persa egit, cuius finem antiquiorem videri quam fabulas quasdam Aristophaneas affirmat, his pergit: Sehr begreiflich, daß auch solche Stücke sich auf der Bühne hielten, die dem groben Gaumen vieler Theaterbesucher eine schmackhaftere Kost lieferten als Menanders Feinheit. So hat es denn Plautus aufgegriffen; er hat auch eine ähnliche Farce dem menandrischen Eingang seines Stichus angehängt: humano capiti cervicem equinam.

[3]) cf. Teuffel.-Kroll., R.L. I. p. 177, de Sticho: Kontamination ist sicher und nur fraglich, ob zwei oder drei Stücke verarbeitet sind.

[4]) cf. Teuffel.-Kroll., R.L. I. p. 171, de Bacchidibus: Der Schluß fällt sehr ins Burleske. — Kontamination ist wahrscheinlich. Ex discrepantia quadam, quae ei videtur, E. Fraenkel: de media et nova comoedia quaestiones selectae Diss. Gottingens. 1912 p. 100/104. Bacchides contaminatam sibi evicit. Leo, R.L. I. p. 119, eum secutus est.

[5]) „De servi currentis persona apud comicos Romanos" egit K. Weißmann. Diss. Gissens. 1911, qui sibi persuasit personam eius a comicis Romanis (!) inventam et excultam esse. De aliis disseruit O. Ribbeck, Alazon Lps. 1882; Kolax Lps. 1883. K. Schmidt, Die griechischen Personennamen bei Plautus, Herm. 37 (1902) p. 173 ss., p. 353 ss., p. 608 ss. A. Mueller, Die Schimpfwörter in der römischen Komödie. Philol. 72 (1913) p. 492 ss

summam licentiam sibi sumpsisse et exemplaria Graeca, lepidissima opera, quasi novis picturis interpolavisse, ut fabulae eius horridae, variae, versicolores viderentur[1]). Quae opinio mea quidem sententia vere nihil aliud est nisi residuum quoddam prioris, qua poetae barbari iuxta νέας poetas aestimabantur. Quod fabulae Plautinae magis scurrili stilo quam Terentianae conscriptae sunt, neglegunt plerique repetendam esse hanc dissimilitudinem magna ex parte ex diversis Graecis exemplaribus, quae uterque convertit; et strictim tantummodo Leo adnotavit[2]) artificia quaedam, quae iam ἀρχαίας poetae adhibuissent, apud Plautum inveniri, Terentium eas quasi despicere et contemnere. Poeta νέας posteris solus est Menander et adeo quidem „omnibus eiusdem operis auctoribus abstulit nomen et fulgore quodam suae claritatis tenebras obduxit“[3]), ut νέα κωμῳδία et Μένανδρος in aequo ponantur et nos novam comoediam dicere consueverimus Menandream. Sed „rara coronato plausere theatra Menandro“[4]) aliorumque poetarum aequalium fabulae maiore cum plausu in scaena agebantur! Novae comoediae poetae numerabantur sexaginta quattuor[5]), quorum nemo, ne Philemon quidem, etsi „meruit credi secundus“[6]), et Diphilus Menandro pares erant. Quae si reputaveris tecum, nonne per se veridissimile et, ut aperte scribam, insulsum esse videbitur, quamvis arte teneantur γένους legibus poetae antiqui, de sexaginta his hominibus ut est natura humana dispari ingenio diversoque artis proposito iudicare ex Menandri indole consiliisque, praesertim cum Menander omnes superaverit nec fuerit unus e grege?

Sed iam transeamus ad singula artificia scurrilia quaedam, quae in fabulis Plautinis repperiuntur, tractanda.

---

[1]) cf. ea, quae E. Norden E. i. d. A.[2] p. 329 s. exposuit, qui cum Leone aliisque consentit.

[2]) cf. Pl. F.[2] p. 137 ss., haec scribit: Plautus gibt uns das Mittel direkt zu erkennen, was für die Geschichte der Komödie von nicht geringer Wichtigkeit ist, daß die Kontinuität zwischen ἀρχαία und νέα nicht unterbrochen worden ist. Sed saepius Euripidem esse exemplum νέας poetis contendit. Itaque W. Sueß: Rh. M. 65 (1910) p. 441 ss. contra eum hanc thesin proponit: Zu Aristophanes, nicht zu Euripides, führt die Entwicklungsgeschichte des klassischen Charakter- und Intriguenspiels! Uterque suo jure verum dixit, cf. etiam Leo. Pl. F.[2] p. 113 adn. 2; R.L. I. p. 96—102.

[3]) cf. Quintilian. X, 1, 72. [4]) cf. Martial. V, 10, 9.

[5]) cf. Christ.-Schmid. G.L. II, 1[5] p. 29.

[6]) cf. adn. 1.

Caput II.

Primo quidem loco dicam de cenis in scaena actis.

§ 1.

In Persa fabula (v. 778 ss.)[1]) Lemniseleni redempta lenoneque emuncto Toxilus amicos suos, quorum opera auxilioque omnia optime gessit, ad cenam vocavit, ut secum celebrarent hunc diem, quem pro altero natali habet. Omnia, quae opus sunt, imperat; denique prodeunt Lemniselenis et Sagaristio. Lemniselenis ilico eum amplectitur et deosculatur, qua re spectatorum oculis proponitur prosperus tricarum eventus. Iam accubituri sunt, cum Sagaristio eis intercedit dicto suo „cedo parem quem pepigi“ — quod nisi ad Paegnium referri non potest; sunt igitur in scaena duo paria amantium et Lemniselenis Toxilusque et Paegnium Sagaristioque —, sed intercessor iam obtemperat. Aqua datur manibus, mensa apponitur, coronae dantur, Lemniselenis convivio quasi praeficitur. Poculum circumfertur et alter alteri propinat. Eodem tempore Dordalus leno a foro revertitur fortunam suam lamentans; animadvertit potantes adversarios, qui invicem eum manuum plausu salutant, ad convivium invitant aquamque ad pedes lavandos ferri iubent. Leno convicia in eos ingerit. Itaque a Paegnio vapulat; ceteri protinus potant, sed postremo omnes invehunt in lenonem, qui miserrime mulcatur.

Sunt scaenae satis ridiculae! Sed histriones eas etiam efficaciores reddidisse verisimillimum est. V. 824 s. Sagaristio haec dicit:

> nequeo, leno, quin tibi saltem staticulum olim quem Hegea
> faciebat vide vero, si tibi satis placet.

et Toxilus his pergit:

> me quoque volo
> reddere, Diodorus quem olim faciebat in Jonia.

Itaque motus aliquos saltatorios sane indecoros dare potuerunt spectatorum summo cum gaudio.

Cenam finem fabulae futuram esse indicat iam sc. I, 3, in qua Toxilus primum parasitum, cuius auxilio indiget ad fallacias

---

[1]) Editionem secutus sum Teubnerianam minorem, quam Goetzius et Schoellius curaverunt.

lenoni struendas, cupediis exquisitis allicit, deinde autem minatur: v. 140 ss.

numquam hercle hodie hic prius edes ne frustra sis,
quam te hoc facturum quod rogo adfirmas mihi.

Quo magis mirum est eum postea epularum participem non fieri. Qua de causa ego quidem mihi persuasi, v. 844 s.

Heus vos,
... Hicin Dordalus est leno, qui hic liberas virgines mercatur.

quos editores Sagaristioni dant, Saturioni tribuendos esse, qui lenonem v. 778 ss. a foro reversum secutus his verbis „heus vos etc." in scaenam prodit et signum verberationis illius dat, qua finitur fabula.

Etiam artius quam in Persa in Asinaria fabula ultimi actus cena cum ceteris scaenis conexa est. Ut filio amanti pecuniam compararet, Demaenetus una cum duobus servis uxorem suam viginti minis defraudavit; sed ea condicione filio argentum expendi iussit, ut meretrix, quae eo conduceretur totum in annum, unam per noctem secum esset et ut cena sibi daretur. Filius patri ea, quae pepigit, concedit; et post v. 827 convivium in scaena agitur. Pater et meritrix eodem in lectulo accumbunt, filius solus cubat. Bibunt, osculantur, garriunt, talis ludunt. Sed omnia acumine maiore quodam afficiuntur eo, quod uxor, quae comperit maritum una cum filio potare apud meretricem vicinam, omnia subauscultat illis inopinantibus. Aliquamdiu unicuique mariti dicto respondet acerbis dicacibusque verbis; denique, cum Demaenetus talos iecerit in hoc „te, Philaenium, mihi atque uxoris mortem" et felici talorum casu exsultaverit, furiosa maritum petit perturbatque convivium lepidissimum et hilarissimum; maritum secum domum rapit, ut omnem furorem in eum evomat.

Hae scaenae, ut Asinaria tota, non longe absunt a ludo scurrili. Poeta enim praecipue id spectavit, ut spectatores oblectaret ludicris rebus. In hoc oblitus est se v. 740 ss. teneri, ne cenam in scaena id est in via facientem induceret Demaenetum. V. 740/3 sunt hi:

Leonida, curre obsecro: patrem huc orato ut veniat.
— Jam dudumst intus ... angiporto
illac per hortum circumit clam, nequis se videret
huc ire familiarium: ne uxor resciscat metuit.

Ne fabula longior fiat, Demaenetum iam in domo meretricis esse fingit poeta atque excusat, cur spectatoribus inspectantibus non

intraverit domum. Quod postea, cum cenam et rixam illam γελοίου χάριν in scaena agi voluerit, neglegit sine ullo scrupulo.

Non sine aliqua arte mediam in fabulam inserta est cena in Mostellaria. Libuit Philolacheti, ut est homo otiosus, una cum amica ut saepius de die potare (v. 295 ss.); nec illa recusat. Itaque iam accumbunt et Philolaches imperat: cedo aquam manibus, puere; appone hic mensulam, vide tali ubi sint. Vix accubuerunt, cum alterum par amantium comissantium ad eos advenit, Callidamates et Delphium, amica eius. Invitantur et considunt. Callidamates vero, ut est probe adpotus, ilico recumbit in lectulum et obdormit; ceteri bibunt. Satis magnum spectaculum! Sed iam Tranio affert nuntium repentinum peregre advenisse patrem Philolachetis. Perturbati quam celerrime mensam pocula aliaque auferri iubent ipsique Callidamate exsuscitato domum fugiunt. Janua obseratur, pessuli obiciuntur. Silentium est taciturnum, ubi modo hilari convivae diem laeti carpebant. Tranio solus ante ostium obambulat, ut erum reversum suam ad consuetudinem accipiat.

Quam scite poeta usus est cena, ut ostentaret, quomodo filius patre absente morem sibi gessisset! Quam fabre depinxit turbas, quas effecit patris adventus!

Ut in Persae ultimo actu, ita in Stichi fine servi potant et saltant. Neque vero est iusta cena sed magis potatio, quam agitant Sangarinus et Stichus. Stichus ab ero suo impetravit, ut post reditum felicem hunc diem „eleutheria capere" sibi liceret, et cado vini donatus est. Jam in itinere ei convenerat cum Sangarino conservo, reditum in patriam una cum communi amica hilariter celebrare. Convivium constitutum v. 683 ss. agitur. Primum Stichus et Sangarinus soli, dum Stephanium sese quam munde exornat, bibunt et complures calices siccant; benigni etiam tibicinem vini participant. Magis magisque eos — sunt iam ebrii — taedet solitudinis evocantque Stephanium. Quae ubi exiit, in mentem eis venit saltare. Itaque tibicen denuo vino quasi perungitur, ut occipiat „lepidam et suavem cantionem aliquam cinaedicam ubi perpruriscant usque ex unguiculis". Dum tibicen se recreat, Sangarinus amicam deosculatur. Tum saltatio illa incipitur cinaedica; moventur Jonice saltantque cordacem laetitia exsultantes, quod salvi atque incolumes domum redierint. Ultimae hae scaenae ioculares mire discrepant a scaenis I, 1; 1, 2, quae sororum ante reditum virorum maerorem exprimunt.

Agmen scaenarum Plautinarum, quibus cenae vel potationes continentur, claudat sc. I, 2 Curculionis. Multa nocte Phaedromus facem manu tenens cum pompa servorum, qui cados ferunt, proficiscitur ad domum amicae, quae lenoni cuidam servit. Qui quidem domi non est, sed eo diligentius ianitrix quaedam anus, Leaena nomine, custodit. Ea est vinosissima, multibiba et merobiba. Itaque Phaedromus vino aspergit ianuae postes affirmans v. 80 s.:

eaque extemplo ubi ego vino has conspersi fores
de odore adesse me scit, aperit ilico.

Re vera fores sine strepitu aperiuntur et anus illa prorepit, quae vinum odorata erat. Quaerit, ubi sit „flos veteris vini" — Phaedromus aliique paululum abscesserunt —, fores vino fragrantes repperit, exsultat: Salve, anime mi, Liberi lepos etc., nam ubi tu profusu's, ibi ego me pervelim sepultam. Denique accipit vinum, quasi demensum suum; ebibit unum poculum meri veteris vini plenum alterumque, donec explevit sitim; „modica est, capit quadrantal" asseverat Phaedromus. Jam non „sicca" puellulam adducit.

Hasce scaenas, quas modo perlustravimus, satis scurriles esse nec comoediis sed mimis dignas videri quis est qui neget! Eis similem apud Terentium nullam invenis! In Adelphis, ut in Asinaria uxor maritum, pater filium cum amica potantem opprimit; sed hoc post scaenam fieri fingitur, non in scaena agitur. Quod in scaenam deferre non erat arduum, dummodo poeta — Menandrum dico — voluisset; qui contra breviter tantummodo ridiculam hanc rem paucis verbis tangit, quia suo ab opere alienam suoque ingenio indignam eam existimavit.

§ 2.

Plauto Terentioque absolutis altera huius capitis parte quaeram de cenis et potationibus, quae in scaena fiunt, apud νέας et μέσης poetas. Sed priusquam ad fragmenta ipsa accedam, in pauca conferam, quibus a poetis vel, si de eis certi nihil affirmari potest, quo tempore exemplaria Graeca fabularum illarum Plautinarum, de quibus modo disputavi, conscripta sint.

Stichum fabulam Menandream[1]) exprimere ex didascalia

[1]) Stichum fabulam non contaminatam esse ego quidem mihi persuasi cf. infra capit. IV § 1.

apparet. Mostellariam Philemoni[1]) adscribendam esse verisimile est. Asinariam Graece scripsit Demophilus, quem obscurum alii pro νέας epigono, alii pro μέσης poeta[2]) habent. Persam ad μέσης exemplum redire constat[3]). De tempore, quo Curculionis exemplar scriptum sit, ambigitur; Wilamowitzius inter annos 303/295 Graecam fabulam conscriptam esse contendit, Hueffnerus anno 310 vel 309[4]).

Jam singulorum poetarum fragmenta perscrutemur[5]). Cum longe plurima nobis exstent Menandrea, Menander agmen ducat.

Ex cena est fragmentum 273 fabulae Cecryphali:

εἶτ' εὐθὺς οὕτω τὰς τραπέζας αἴρετε,
μύρα, στεφάνους ἑτοίμασον, σπονδὰς ποίει·

Epulati sunt nescioqui in scaena; mensis ablatis nunc potaturi sunt. An fr. 274 eadem ex scaena sumptum sit, incertum est. Etiam in fabula Colace cena in scaena fiebat, ex qua fragmentum praebet Athenaeus XIV p. 659d:

(fr. 292) Μένανδρος ἐν Κόλακι τὸν τοῖς τετραδισταῖς διακονούμενον μάγειρον ἐν τῇ τῆς πανδήμου Ἀφροδίτης ἑορτῇ ποιεῖ ταυτὶ λέγοντα.

σπονδή. δίδου σὺ σπλάγχ' ἀκολουθῶν. ποῖ βλέπεις;
σπονδή. φέρ' ὦ παῖ Σωσία. σπονδή. καλῶς.
ἔγχει. θεοῖς Ὀλυμπίοις εὐχώμεθα
Ὀλυμπίαισι πᾶσι πάσαις (λάμβανε
τὴν γλῶτταν ἐν τούτῳ) διδόναι σωτηρίαν,
ὑγίειαν, ἀγαθὰ πολλά, τῶν δ' ὄντων τε νῦν
ἀγαθῶν ὄνησιν πᾶσι. ταῦτ' εὐχώμεθα.

Quam cenam tenuisse mediam fabulae partem et in ea rixam ortam esse inter rivales Phidiam et Biantem Leo probabiliter coniecit[6]). Parasitum et militem gloriosum, qui non modo bellator optimus, sed etiam potator validissimus est (cf. fr. 293: Ἀλεξάνδρου πλέον τοῦ βασιλέως πέπωκας) primas partes in convivio egisse verisimillimum est. Itaque ego quidem mihi persuasi etiam v. 419 ss. Eunuchi Terentianae, quibus miles praedicat dicacitatem

[1]) cf. Leo. Herm. XVIII (1883) p. 560/1.

[2]) Plerique *νέας* poetam eum putant sed cf. Christ.-Schmid. II, 1^6 p. 35: Demophilus, einem obskuren Dichter der mittleren Komödie.

[3]) cf. Wilamowitz., ind. lect. Gottingens. 1893/4 p. 13 ss.

[4]) cf. Hueffner.: de Plauti comoediarum exemplis Atticis quaestiones maxime chronologicae, Diss. Gotting. 1894 p. 18—26.

[5]) Editione usus sum Kockiana. [6]) N.G.G. 1903 phil.-hist. p. 687.

suam, qua quondam tetigerit rivalem in convivio, hac ex cena, cui adest Phidias rivalis, sumpsisse Terentium; narratiuncula militis tum demum suavitatem et salem habet, cum ea rivalis petitur et oblique perstringitur; nec aliter parasiti verba: „dolet dictum imprudenti adulescenti et libero“ et illud „γελῶ τὸ πρὸς τὸν Κύπριον ἐννοούμενος“ (fr. 293 = Eun. 498) intelleguntur, nisi Phidiam spectant, qui una cum eis potat. Erat igitur iocularis haec cena! Porro in fabula Synaristosis convivium in scaena agebatur; fr. 451 enim hoc est:

ἂν ἔτι πιεῖν μοι δῷ τις. B. ἀλλ' ἡ βάρβαρος
ἅμα τῇ τραπέζῃ καὶ τὸν οἶνον ᾤχετο
ἄρασ' ἀφ' ἡμῶν.

Mulieres in scaena cenavisse[1]) ex titulo fabulae intellegitur. Quae personae in scaena fabulae Herois, ex qua fr. 212 Athenaeus exscripsit, prodierint, frustra quaesivi, etsi index personarum exstat; hoc est:

χοῦς κεκραμένου
οἴνου. λαβὼν ἔκπιθι τοῦτον.

Iterumne versantur in scaena servi Geta et Davus? Hoc quidem pro certo habeo fragmentum non esse e cena; in qua non dicunt: tene poculum mixti vini, sed: tene poculum. Apportabatur igitur a nescioquo e domo cadus vini, quem alius manu cepit et ebibit. Maxime ambiguum est fragmentum fabulae Encheiridii fr. 151:

πίε. B. πιεῖν ἀναγκάσω
τὴν ἱερόσυλον πρῶτα.

Sunt tres personae in scaena: A. B. ἡ ἱερόσυλος. Krollius quidem cogitat de veneno. Denique fr. 224 fabulae Theophorumenae afferendum est:

καὶ ταχὺ
πάλιν τὸ πρῶτον περισοβεῖ ποτήριον
αὐτοῖς ἀκράτου.

in quo Cobetus πάλιν delens scribendum esse coniecit: καὶ ταχὺ τὸ πρῶτον περισόβει κ. τ. λ. Sed cum fr. 226 eiusdem fabulae cena describatur, incerta est coniectura, quamquam περισοβεῖν i. e. celerrime poculum circumferre aptius esse videtur verbis

---

[1]) cf. primam Cistellariae scaenam, qua prodeunt mulieres, quae modo consurrexerunt e prandio; simillima mulieri A. est multibiba lena, cf. v. 19. Et cum Festus p. 301, p. 352. Cistellariae v. 408 laudet: Plautus in Sym ... vel Sy ..., non sine aliqua veritatis specie suppleas: Plautus in Synaristosis. Fr. 558 igitur (= Cist. 89 ss.) e Synaristosis exscriptum est.

domini servulo imperantis quam cenam describentis, cf. etiam αὐτοῖς, non ἡμῖν[1]). Quam Cobeti coniecturam si probandam esse censemus, etiam hac in fabula cena in scaena agebatur; convivae iam nimis indulserant vino.

Pro numero magno fragmentorum Menandri, quae exstant, perpauca repperimus ad convivia spectantia! Quod casu fieri verisimile non est, sed infra (cf. § 4) plura hac de re dicam. Menandrum sequatur Philemon aemulus! Sed unum tantum eius fragmentum ad cenam referendum est: fr. 9 fabulae Androphoni (II p. 480):

πιεῖν τις ἡμῖν ἐγχεάτω καὶ ματτύην
ποιεῖτε θᾶττον.

Qualis fuerit ἀνδροφόνος, fragmentum quasi cantat. Dubitanter fr. 44 fabulae Moechi (II p. 489) noto, cum non appareat, utrum dominus et servus in scaena iam potent an cenam apparent. Opimiorem messem quasi metimus apud Diphilum! In fabula Synoride certe tres personae in scaena potabant, meretrix, iuvenis amator, parasitus (cf. II p. 565 ss.). Parasitus in cena ludibrio habebatur, quo iratus nescioquid commiserat. cf. fr. 74/75:

ὀργίζεται; παράσιτος ὢν ὀργίζεται; κ. τ. λ.

Potantes talis ludebant et sermocinabantur iocularem in modum; fr. 76: ἕλκ' ἐς μέσον τὸν φιμὸν ὡς ἂν ἐμβάλῃ.
(cf. Asin. 904 ss. iace pater talos ut porro nos iaciamus.)
fr. 73: ἄριστ' ἀπαλλάττεις ἐπὶ τούτου τοῦ κύβου.
B. ἀστεῖος εἶ· δραχμὴν ὑπόθες. A. κεῖται πάλαι.
πῶς ἂν βάλοιμ' Εὐριπίδην; B. οὐκ ἄν ποτε
Εὐριπίδης γυναῖκα σώσει'. οὐχ ὁρᾷς
ἐν ταῖς τραγῳδίαισιν αὐτὰς ὡς στυγεῖ;
τοὺς δὲ παρασίτους ἠγάπα κ. τ. λ.

Iocum illum Εὐριπίδην βάλλειν — „iactum felicem sic adpellari (ab εὖ ῥίπτειν) Sauppius monuit“ — non infacetum iudices. Fortasse etiam tibia cantabatur in convivio, cf. fr. 77:

ἐχηνίασας. ποιοῦσι τοῦτο πάντες οἱ
παρὰ Τιμοθέῳ.

In fabula Sapphu (p. 564) Archilochum et Hipponactem Σαπφοῦς ἐραστάς (cf. fr. 70) poeta induxerat. Una cum eis Sappho in scaena potabat: fr. 69:

---

[1]) cf. K. adn.: paulo ante Athenaeus ipse *ἔδωκε τῷ παιδὶ περισοβεῖν ἐν κύκλῳ κελεύσας* et IV, 130c: *περισοβεῖν ἐκέλευε τοῖς παισίν.*

'Αρχίλοχε, δέξαι τήνδε τὴν μετανιπτρίδα
μεστὴν Διὸς σωτῆρος, ἀγαθοῦ δαίμονος.

Revoco te ad Stichi v. 729 s.:

haec facetiast amare inter se rivalis duos,
uno cantharo potare, unum scortum ducere etc.

Haud scio, an poeta eisdem scurrilibus coloribus hanc cenam depinxerit, sed aliquam similitudinem interesse inter eas concedendum est. Ex fabula Paederastis hoc exstat fragmentum convivii: fr. 58 p. 559:

ἔγχεον σὺ δὴ πιεῖν
B. εὐζωρότερόν γε νή Δί', ὦ παῖ, δός. τὸ γὰρ
ὑδαρὲς ἅπαν τοῦτ' ἔστι τῇ ψυχῇ κακόν.

Erat igitur acris potatio. Etiam fr. 20 fabulae Balanei (p. 546) e cena sumptum est:

ἔγχεον μεστήν· τὸ θνητὸν περικάλυπτε τῷ θεῷ.
πῖθι· ταῦτα γὰρ παρ' ἡμῶν Διὸς ἑταιρείου, πάτερ.

ad quod K. annotat, Meinekium secutus, haec esse verba meretricis (?) barbaro blandientis. Denique fr. 86 p. 569 nescioquis poculum manu tenens, quod modo siccaverat, loqui mihi videtur:

ὦ πᾶσι τοῖς φρονοῦσι προσφιλέστατε
Διόνυσε καὶ σοφώταθ', ὡς ἡδύς τις εἶ.
ὃς τὸν ταπεινὸν μέγα φρονεῖν ποιεῖς μόνος,
τὸν τὰς ὀφρῦς αἴροντα συμπείθεις γελᾶν,
τόν τ' ἀσθενῆ τολμᾶν τι, τὸν δειλὸν θρασύν.

cf. hymnum temulentae lenae in Curculionis sc. I, 2. Alia fragmenta magis ambigua praeterii. Iam ad μέσης, qui vocantur, poetas venimus; fr. 7 enim Anaxippi III p. 301:

μυιοσόβην λαβὼν παράστηθ' ἐνθάδε

non ad cenam, sed ad scaenam aliquam similem Truculenti sc. II, 5 referendum esse verisimilius est.

Alexidem primo loco posui ideo, quod ultra annum 270 vixit et testis est Gellius II, 23, 1 fabulas eius quasdam palliatae poetas latine vertisse. Cenae in scaena compluribus in fabulis agebantur. Fabulae Didymorum (II p. 315 s.) duo frustula e convivio sunt; fr. 52 et fr. 53, quod hoc est:

τούτῳ πρόπιθ', ἵνα καὐτὸς ἄλλῳ

Erat igitur frequens sodalitas, quae hoc convivium habuit. Fr. 58 fabulae „Δορκὶς ἢ Ποππύζουσα" nescioquis haec loquitur:

τῆς φιλοτησίας ἐγὼ
μεστὰς προπίνω γ' ἴσον ἴσῳ κεκραμένας.

In fabula „Κρατεύας ἢ Φαρμακοπώλης" iterum est frequens consessus in convivio, cf. fr. 111 p. 336:

παῖ, τὴν μεγάλην, δὸς ὑποχέας
2. φιλίας κυάθους μὲν τῶν παρόντων τέτταρας κ. τ. λ.
7. χαίρετ' ἄνδρες συμπόται
ὅσων ἀγαθῶν τὴν κύλικα μεστὴν πίομαι.

Etiam fr. 226 p. 380 fabulae Titthae cenam praebet:

ἰδοὺ πάρεστιν οἶνος. οὐκοῦν ἐγχέω,
Κρίτων, πολύν; Κρ. βέλτιον ἕνα καὶ τέτταρας.
A. ὑδαρῆ λέγεις. ὅμως δὲ ταύτην ἐκπιὼν
. . . λέγε τι καὶ διατριβήν γε τῷ πότῳ
ποιῶμεν.

Fragmentorum quattuor, quae exstant e fabula „Τοκιστής ἢ Καταψευδόμενος", tres ad cenam spectant. Fr. 233 p. 382 cena praeparatur, cuius frustula sunt et fr. 230 et fr. 232.

fr. 230: A. μὴ παντελῶς αὐτῷ δίδου
ὑδαρῆ. κατανοεῖς; ἴσον ἴσῳ μικροῦ. καλῶς.
B. ἡδύ γε τὸ πῶμα. ποδαπὸς ὁ Βρόμιος, Τρύφη; κ. τ. λ.
fr. 232: ἀλλ' ἔγχεον
αὐτῷ Διός γε τήνδε σωτῆρος, θεῶν
θνητοῖς ἁπάντων χρησιμωτάτου πολύ.
B. ὁ Ζεὺς ὁ σωτήρ, ἂν ἐγὼ διαρραγῶ,
οὐδέν μ' ὀνήσει. A. πῖθι θαρρῶν.

Cenam haud parvam fabulae partem continuisse apparet; depingebatur sane hilarissime convivium. Fr. 251 quoque (p. 389) fabulae Philocali vel Nympharum e cena est; neque aliter fragmentum antecedens fabulae Philisci:

ἀρτέον
τράπεζαν, ἀπονίψασθαι δοτέον, προσοιστέος
στέφανος, μύρον, σπονδή, λιβανωτός, ἐσχαρίς,
τράγημα δοτέον ἔτι, πλακοῦντος ἁπτέον.

Fr. 291 p. 402 fragmento 58 simile est:

φιλοτησίαν σοι τήνδ' ἐγὼ
ἰδίᾳ τε καὶ κοινῇ κύλικα προπίομαι.

In fabula Opora tam multa pocula vertebantur, ut unus e convivis vini iam plenus esset, fr. 164 p. 358:

οἶνον πολὺν
οὐ κεκραμένον σὺ πίνεις μεστὸς ὢν κοὐκ ἐξεμεῖς;

Convivium lepidissimum fiebat in fabula Pythagorizusa; aquam

potabant convivae[1]) et in sermonibus habebant quaestiones ioculares: fr. 198 p. 370:

προπίνω σοι φιλοτησίαν λαβὼν
ὕδατος ἀπέφθου κύαθον. ἂν δ' ὠμὸν πίῃς,
βαρὺ καὶ κοπώδης.

Haec de Alexide! Secundum eum illustrissimus μέσης poeta existimatur Antiphanes; eius fragmenta nunc inspicienda sunt. Ita ut apud Alexidem non raro apud eum conviviorum in scaena actorum frustula repperiuntur. Fr. 3 (II p. 13) fabulae Agroeci e cena est:

ὅλην μύσας ἔκπινε. B. μέγα τὸ φορτίον.
A. οὐχ' ὅστις αὐτῆς ἐστιν ἐμπείρως ἔχων.

Eodem e contextu fr. 1 exscriptum esse videtur cf. αἴρω. Fr. 66 (p. 38: Βούσιρις) hoc legis:

τὸ χερνιβεῖον πρῶτον. ἡ πομπὴ σαφής.

ad quod K. annotat: per ironiam haec aliquis dicere videtur homines quosdam praelata urna incedentes conspicatus. Ex voce χερνιβεῖον apparet similem fuisse scaenam Stichi scaenae V, 4 cf. v. 683: agite ite foras: ferte pompam; manus lavabantur cenas obeuntibus; itaque fragmentum cenae frustulum est. Ceterum saepius cum pompa comparantur apud Plautum personae in scaena cum vasculis incedentes: Bacch. 113/14, Cas. 719, Curc. 1/2, Truc. 549 (cf. etiam Mil. 67, Poen. 1012). Novi aliquid habes in fragmento 85 (p. 45: Διπλάσιοι):

A. τί οὖν ἐνέσται τοῖς θεοῖσιν; B. οὐδὲ ἕν,
ἂν μὴ κεράσῃ τις. A. ἴσχε τὸν ᾠδὸν λάμβανε.
ἔπειτα μηδὲν τῶν ἀπηρχαιωμένων
τούτων περάνῃς, τὸν Τελαμῶνα, μηδὲ τὸν
Παιῶνα, μηδ' Ἁρμόδιον.

Athenaeus XI p. 503 d. e. (cf. K.) explanat: οὕτως (ᾠδὸς) ἐκαλεῖτο τὸ ποτήριον . . . τὸ ἐπὶ τῷ σκολίῳ διδόμενον. Scolia igitur in scaena canebantur. Tale scolion est servatum e fabula Milanione, distichon elegiacum fr. 149 p. 72:

[1]) Alexis saepius Pythagoreos perstrinxit; etiam fr. 220 adnotat: ***οἶνόν τ' οὐχὶ πίνουσιν μόνοι,*** quod eum imprimis piguisse videtur, ut erat vinosus, cf. fr. 283/4 p. 400:

οὐδεὶς φιλοπότης ἐστὶν ἄνθρωπος κακός.
ὁ γὰρ διμάτωρ Βρόμιος οὐ χαίρει συνὼν
ἀνδράσι πονηροῖς οὐδ' ἀπαιδεύτῳ βίῳ.

τοῦτον ἐγὼ κρίνω μετανιπτρίδα τῆς Ὑγιείας
πίνειν ζωροτέρῳ χρώμενον οἰνοχόῳ,

quod in convivio pronuntiatum esse apparet. In fabula Carina (p. 56) dominus cenae se largissime invitavit in scaena, ut iam ebrius esset: fr. 114 Athen. XI, 503 b:

τρίποδα καὶ κάδον
παραθέμενος ψυκτῆρά τ' οἴνου . . .
μεθύσκεται

quos cum attulerit versus Athenaeus, his pergit: ἐν τοῖς ἑξῆς ποιεῖ αὐτὸν λέγοντα: (fr. 115)

πότος ἔσται . . .
σφοδρότερος. οὐκοῦν, εἰ φράσαι τις, οὐκ ἔτι
ἔξεστι κυαθίζειν γάρ . . .
τὸν δὲ κάδον ἔξω καὶ τὸ ποτήριον λαβὼν
ἀπόφερε τἄλλα πάντα.

K. annotat: Athenaeo ipso teste ὁ μεθυσκόμενος haec dicit, qui ut compotatio fortior fiat non iam ut antea vinum aqua mixtum, sed merum bibi iubet; itaque eis vasis quorum ad vinum temperandum usus est ablatis omnibus cadus solus et poculum efferuntur. Fr. 127 fabulae Coroplathi (p. 62) ambiguum est:

γύναι, πρὸς αὐλὸν ἦλθες· ὀρχήσει πάλιν
τὴν ἴγδιν . . . τὴν θυΐαν ἀγνοεῖς;
τοῦτ' ἔστιν ἴγδις.

„Videtur nescioquis mulierem simplicem duplici vocis ἴγδις significatione decipere“ [ἴγδις: ἡ θυΐα, ἔστι μὲν οὖν ἴγδις καὶ ὀρχήσεως σχῆμα] „πρὸς αὐλὸν ἦλθες i. e. tempore venisti: tibia enim canitur“ (K.). Nonne saltabatur in scaena ut in Persa Stichoque in convivio? Fr. 139 (p. 68: Λάμπων) hoc est:

ὁ δεῖν' Ἰᾶπυξ κέρασον εὐζωρέστερον.

In fabula Mystide mulieres in scaena potabant, fr. 163 p. 77:

σὺ δ' ἀλλὰ πῖθι. B. τοῦτο μέν σοι πείσομαι.
καὶ γὰρ ἐπαγωγόν, ὦ θεοί, τὸ σχῆμά πως
3. τῆς κύλικός ἐστιν κ. τ. λ.
6. τούτῳ δέ, τέκνον πολλὰ κἀγάθ' οἱ θεοὶ
τῷ δημιουργῷ δοῖεν, ὅς ἐποίησέ σε
τῆς συμμετρίας καὶ τῆς ἀφελείας ἕνεκα.

Γραῦς ἐστι φίλοινος κ. τ. λ. adicit Athenaeus XII p. 494 c, d. Fr. 165:

βούλει καὶ σὺ φιλτάτη πιεῖν
B. καλῶς ἔχει μοι. A. τοιγαροῦν φέρε . . .
μέχρι γὰρ τριῶν δεῖν φασι τιμᾶν τοὺς θεούς.

„Duae mulieres conloquuntur, quarum altera alteri potionem affert, sed cum illa recuset, ipsa bibit“ (K.). Bacchi igitur mysteriis initiabatur! Denique in fabula Traumatia convivium in scaena fiebat; exstat hoc frustulum: fr. 207 p. 101:

μὴ μεστὰς ἀεὶ
ἕλκωμεν, ἀλλὰ καὶ λογισμὸς εἰς μέσον
παταξάτω τις, καί τι καὶ μελίσκιον,
4. στροφὴ λόγων παρελθέτω τις κ. τ. λ.
6. παραδίδου ἑξῆς ἐμοὶ
τὸν ἀρχεσίγυιον, ὥς ἔφασκ' Εὐριπίδης κ. τ. λ.

Fr. 55, in quo nescioquis cottabismum discit, fr. 28, fr. 136 (estne conviva qui serius ad cenam venit?), fr. 194, fr. 196, quorum utroque γρῖφοι παρὰ πότον narrari videntur (cf. fr. 124 v. 2), notare satis habeo. Sed restant ceterorum μέσης poetarum fragmenta percensenda. Apud Anaxandridem in fabula Agroecis (fr. 1 p. 135) certe tres convivae accubant in convivio:

τίνα δὴ παρεσκευασμένοι
πίνειν τρόπον νῦν ἐστε; λέγετε. τίνα τρόπον;
B. ἡμεῖς τοιοῦτον οἷον ἂν καὶ σοὶ δοκῇ κ. τ. λ.

Simile est illud „vide quot cyathos bibimus“ in Sticho cf. v. 706. Apud Eubulum fr. 43 (p. 179 Καμπυλίων) vinolenta anus morem sibi gerit:

ὦ γαῖα κεραμί, τίς σε Θηρικλῆς ποτε
ἔτευξε κοίλης λαγόνος εὐρύνας βάθος;
ἦ ποῦ κατειδὼς τὴν γυναικείαν φύσιν,
ὡς οὐχὶ μικροῖς ἥδεται ποτηρίοις.

Fr. 55 (p. 182 Κορυδαλλός) e cena esse videtur:

ἴθι θεῦρ' ἀφελοῦ τ' ὦ λάγνα ταχὺ τὰ ποικίλα.

Supplendum esse censeo ποτήρια cf. Antiphanis fr. 115; ad fortiorem potationem convivae se parabant. Apud Nicostratum in fabula Pandroso convivium in scaena fiebat, cuius servata sunt duo fragmenta:

fr. 19 p. 224: *κἀγώ*, φιλτάτη
μετανιπτρίδ' αὐτῷ τῆς ὑγιείας ἔγχεον
B. λαβὲ τῆς ὑγιείας δὴ σύ. Γ. φέρε τὐχἀγαθῇ κ. τ. λ.
fr. 20: ἀλλ' ἐγχέασα θᾶττον ἀγαθοῦ δαίμονος
ἀπενεγκάτω μοι τὴν τράπεζαν ἐκποδών.
ἱκανῶς κεχόρτασμαι γάρ. B. ἀγαθοῦ δαίμονος
A. δέχομαι. λαβοῦσ' ἀπένεγκε ταύτην ἐκποδών.

Fr. 19 v. 2 etiam e fabula Anterosa affertur; quam ob rem K.

titulum fabulae e titulo Pandrosi fabulae corruptum esse coniecit; sed utraque in fabula eundem versum fuisse probabile est, praesertim cum poetas eisdem fere coloribus cenas semper depinxisse appareat. Apud Amphidem hoc invenis fragmentum convivii, fr. 18 (p. 241: Ἔριθοι):

ὁ παῖς σοβείτω τοῖς ποτηρίοις *συχνοῖς*.

cf. „Paegnium, tarde cyathos mihi das“ Pers. 772. Etiam fr. 31 (p. 245: Πλάνος) ad cenam redire contendo:

παραδεδειπνημένος, παῖδες, πάλαι.

K. quidem παραδεδειπνημένος pro cena frustatus habet et annotat: est caput illud λογοποιίας; mihi contra hic sensus in eo inesse videtur: iam dudum est, cum edi, cf. Asin. 889 s. „pater iube dari vinum; iam dudum factum est, quom primum bibi“, quae ad verba pater haec dicit „da puere a summo“. Ita etiam in hoc fragmento παῖδες facillime intellegitur; adhortatur nescioquis servos, ne nimis tardi sint ministrantes. Epicratis fr. 10 p. 286 satis scurrile, cuius acumen in eo positum est, quod poeta „ridicula ambiguitate vocabula nautica ad res obscaenas significandas adhibuit“, exscribere supersedeo, cum non e cena sed e cenae descriptione exscriptum esse videatur. Sed Clearchi duo fragmenta afferenda sunt; fr. 1 (p. 408: Κιθαρῳδός):

τὴν δ' ἐγὼ
μεστὴν ἅπαξ ἐπονομάσας προπίομαι,
πίστωμα φιλίας συγγενέσι. πιὼν ἐρῶ
τὰ λοιπά. πνίγομαι γάρ. B. ἀλλ' ἐπιρρόφει.

Apportabatne cenam agentibus tertius quidam nuntium, qui defessus cursu se recreat, antequam renuntiat, quae facta sint (cf. Mostellariam)? Fr. 4 fabulae Pandrosi (p. 409) initium est convivii:

λάβ' ὕδωρ κατὰ χειρός. B. μηδαμῶς. καλῶς ἔχει.
A. λάβ' ὠγάθ'. οὐδὲν χεῖρον. ἡ παῖς, ἐπιτίθει
ἐπὶ τὴν τράπεζαν κάρυα καὶ τραγήματα.

Meretrix et iuvenis in scaena versari videntur, meretrix eum captat blanditiis et vino. Axionici fr. 2 p. 413 fabulae Tyrreni valde corruptum K. sic emendavit non sine aliqua probabilitate:

οἶνος οὐκ ἔνεστ' ἔτι
σκύφοις B. προφαίνεις πρόφασιν ἐπὶ κῶμόν τινα.

Convivae magnis poculis potatis cados exhauserant; neque tamen uni ex convivis potationis satis est. Epigenis fr. 5 p. 417 fabulae Heroinae dominus potationem adornat:

τὴν Θηρίκλειον δεῦρο καὶ τὰ Ῥοδιακὰ
κόμισον λαβὼν τοὺς παῖδας *εἰσοίσεις* μόνος
ψυκτῆρα, κύαθον κ. τ. λ.

Ut hoc fragmento pocula magna efferri iubentur, ita fr. 4 eiusdem fabulae invehitur in pocilla, quibus οἱ νῦν in conviviis utantur. Heniochi fr. 1 p. 431 et Timoclis fr. 32 p. 465, quo eccyclema spectatorum ante oculos proponit domi potantes, noto tantummodo. Graviora Xenarchi fragmenta quaedam sunt. Fr. 10 p. 472 fabulae Priapi cenam praebet:

σὺ δὲ μηκέτ' ἔγχει παιδάριον εἰς ἀργυροῦν.
εἰς τὸ βαθὺ πάλιν ἄγωμεν. εἰς τὸν κάνθαρον,
παιδάριον, ἔγχει. B. νὴ Δία, νὴ τὸν Κάνθαρον.

Nec aliter fabulae Didymorum fr. 2 p. 468 et fr. 3! Unanimi bibebant quidam in scaena cf. fr. 3:

πίμπλη σὺ μὲν ἐμοί, σοὶ δ' ἐγὼ δώσω πιεῖν κ. τ. λ.

et tam fortiter vinum hauriebant, ut iam dormitarent: fr. 2:

ὡς ὑπό τι νυστάζειν γε καὐτὸς ἄρχομαι.
ἡ τἀγαθοῦ γὰρ δαίμονος συνέσεισέ με
ἄκρατος ἐκποθεῖσα φιάλη παντελῶς.
ἡ τοῦ δὲ σωτῆρος Διὸς τάχιστά γε
ἀπώλεσε ναύτην καὶ κατεπόντωσέν μ' ὁρᾷς.

cf. Callidamatem dormientem in Mostellaria! Convivae cum nautis comparantur etiam fr. 10 et Epicratis fr. 10; contra naufragi cum convivis Rud. v. 586 ss. Postremo Theophilus fr. 2 p. 473 fabulae Boeotidis convivas in scaena potantes induxit:

τετρακότυλον δὲ κύλικα κεραμεᾶν τινα
τῶν Θηρικλείων, πῶς δοκεῖς; κεραννύει
καλῶς, ἀφρῷ ζέουσαν κ. τ. λ.

Puer amoene cyathissans laudatur.

Ut paucis alteram huius capitis partem comprehendam, cenam vel potationem in scaena agi pro numero fragmentorum servatorum saepius γελοίου χάριν fecerunt μέσης qui vocantur poetae et Diphilus. Bibunt, talis ludunt, nugantur convivae[1]), cantant, crapulam potant, saltant. Quomodo poetae haec convivia cum ceteris fabulae partibus coniunxerint, utrum artius eas coniunxerint necne, vix diiudicari potest, sed cf. Clearchi fr. 1. Rarius Menander et Philemon hoc artificium ad spectatorum animos delectandos adhibuerunt, rarissime vel omnino non ceteri νέας poetae.

[1]) Nonnunquam etiam mulieres in scaena potant; de mulierum vinositate cf. capitis insequentis alteram partem.

§ 3.

Sed erat usitatissimum hoc genus apud ἀρχαίας poetas! Equitibus Aristophanea fabula[1]) ineunte versantur in scaena Demi servi, Demosthenes et Nicias. Deliberant, quomodo effugere possint imperium gravissimum, quod Paphlagon, qui plurimum solus valeat apud erum, habeat in conservos suos; postremo Demosthenes Niciam domo furari iubet cadum vini, quo irriget mentem suam (cf. τὸν νοῦν ἵν' ἄρδω v. 96, v. 114), ut rationem consilii excogitet. Nicias obsequitur, et Demosthenes multis poculis adeo irrigat mentem, ut iam efflorescat consilium callidissimum libri oraculorum Paphlagoni surripiendi, quem ut oculos suos tueatur. Iterum Nicias imperata exsequitur; Demosthenes etiam plura pocula sorbillans librum evolvit et reperit oraculum salutarissimum. — Nisi quod haec potatio artissime coniuncta est cum fabula ipsa, non dissimilis est ei, quam habent Stichus et Sangarinus conservi in fine Stichi. Lysistrata in fabula mulieres, postquam pactionem illam λυσιστράταν inierunt, sacris sanctissimis eam sancturae sunt[2]): cf. v. 196:

μηλοσφαγοῦσαι Θάσιον οἴνου σταμνίον.

Itaque vini cadus effertur et poculum magnum. Quo victimae immolatae sanguinem excipiunt: v. 205 s.:

εὔχρων γε θαῖμα κἀποπυτίζει καλῶς.
— καὶ μὰν ποτόδδει γ' ἁδύ, ναὶ τὸν Κάστορα.

Tum turba incipit, cum unaquaeque mulierum, ut sunt vinosae, prima iusiurandum dare cupiat; denique omnes poculum manibus prehendunt et una ex eis pro omnibus iurat in verba Lysistratae. Lysistrata poculum consecrans ceteris propinat. Poculum circumfertur, ne ulla postremo expers sit hostiae mactatae v. 238 s.:

φέρ' ἐγὼ καθαγίσω τήνδε. — τὸ μέρος γ' ὦ φίλη,
ὅπως ἂν ὦμεν εὐθὺς ἀλλήλων φίλαι.

Ingeniosissimo poeta haud indigna est scaena, qui artificia sibi tradita excoluit spiritu suo, paratragoedans narrationem quandam Aeschyleam (cf. v. 188 s., Sept. 39 ss.). Thesmophoriazusis in fabula Mnesilochus deprehensus ad aram confugit filiola uni ex mulieribus e manibus erepta (cf. v. 689 ss.). Quae cum sarmentis

[1]) Usus sum editione altera Bergkiana B. T.

[2]) Quamquam infra (cap. II § 2) fusius de artificio vinosarum mulierum agendum est, tamen ut supra fragmenta quaedam ita etiam hanc scaenam aliasque iam hoc loco attuli, cum contineantur eis potationes.

aram circumdent ignemque eis subiecturae sint. Mnesilochus contra puellulam se interfecturum esse minatur et vestes ei detrahit. Sed cf. v. 733 s.:

ἀσκὸς ἐγένεθ' ἡ κόρη
οἴνου πλέως, καὶ ταῦτα Περσικὰς ἔχων.

Quo magis iugulat filiolam i. e. resolvit utrem vini plenum; et ipse eum exhaurit, cum matri, quae sanguinem patella excipere studet, unum pocillum concedat. Utrem vacuatum proicit cf. v. 758:

τουτὶ τὸ δέρμα τῆς ἱερείας γίγνεται.

Hanc scaenam paratragoedare fabulam, quam narrant de Telepho, rege Mysorum, apparet. Qua cum parodia iterum artificium potationes in scaenam deferendi poeta facete coniunxit. Ex quo efficitur, eum hoc vetustissimum quasi ex hereditate accepisse, cum maxime dederit operam, ut spectatoribus novum neque obsoletum videretur. Denique[1]) in Vespis Philocleon in tribunali, cum causa illa duorum canum agatur, potat cf. v. 906:

φέρε νυν, ἅμα τήνδ' ἐγχεάμενος κἀγὼ ῥοφῶ.

τήνδ' scilicet φιάλην supplendum est, sed cf. 811/2, 814: φακῇ. Quod pertinet ad fabulas deperditas, magna cena fiebat in fabula Tagenissis; fr. 502 (I p. 521) hoc est:

φέρε, παῖ, ταχέως κατὰ χειρὸς ὕδωρ
παράπεμπε τὸ χειρόμακτρον.

Eandem ad cenam redire videntur fr. 506, fr. 507, fr. 497, fr. 493 aliaque huius fabulae fragmenta. Etiam ex fabula Proagone fragmentum convivii exstat: fr. 466 p. 511:

τί οὐκ ἐκέλευσας παραφέρειν τὰ ποτήρια;

Nec aliter fr. 590 p. 542 e cena esse videtur:

ἄγε νῦν τὰς ἀμυγδαλᾶς λαβὼν
τασδὶ κάταξον τῇ κεφαλῇ σαυτοῦ λίθῳ.

Fr. 530 p. 526 fabulae Telemessae hoc legis:

A. τράπεζαν ἡμῖν *φέρε*
τρεῖς πόδας ἔχουσαν κ. τ. λ.,

in quo Porsonius εἴσφερε scribendum esse coniecit, K. rectius ἔκφερε substituit. Cum hoc fragmento „artissime cohaerere videntur“ fr. 531 et fr. 532.

---

[1]) cf. etiam Acharnensium fabulae v. 174 ss., quibus Dicaeopolis quinquennes, decennes, trigintennes *σπονδάς* gustat! Lepidissime poeta ambiguitate vocis *σπονδαί* usus est, ad scaenam scurrilem, potationem, spectatorum gratia inserendam.

Convivii frustulum est etiam fr. 269 p. 461 fabulae „Δράματα ἢ Κένταυρος“:

ἀλλ' ἐς κάδον λαβών τιν' οὔρει πίττινον.

Quod factum esse, apparet e Vesp. v. 935 ss., Eccl. 311 ss. aliisque e locis.

Cratini fabulae Δραπέτιδες inscriptae duo fragmenta e convivio sumpta esse verisimillimum est: fr. 50 p. 27:

δέχεσθε φιάλας τάσδε βαλανειομφάλους.

et fr. 51: „οὗτος, καθεύδεις; οὐκ ἀναστήσει“; βοῶν.

Alterum e recensione Cobeti (cf. K.) dedi: „quibus verbis nescioquis aliquem e somno excitat“, cf. Most. 372 s. Fabulae Ulixium fr. 141 p. 57:

τῆ νῦν τόδε πῖθι λαβὼν ἤδη, καὶ τοὔνομα μ' εὐθὺς ἐρώτα.

et fr. 135: οὔπω ʼπιον τοιοῦτον οὐδὲ πίομαι
Μάρωνα.

e scaena sunt, qua Ulixes Cyclopem inebriavit. In fabula Pytina poetam ipsum etiam in scaena potavisse veri dissimile non est; itaque Meinekius non sine aliqua probabilitate fr. 291 p. 97 ex ea petitum esse contendit:

ἀλλ' οὖν θεῷ σπείσαντ' ἄμυστιν δεῖ πιεῖν.

Apud Pherecratem in fabula Coriannu ioculare convivium in scaena fiebat, cuius exstant quattuor fragmenta (p. 162 ss.). Primo alteroque Glyce meretrix imperat, ut mensula, vinum, pulpamentum sibi efferantur: fr. 67:

A. φέρε δὴ κατακλινῶ. σὺ δὲ τράπεζαν ἔκφερε
καὶ κύλικα κἀντραγεῖν, ἵν' ἥδιον πίω.
B. ἰδοὺ κύλιξ σοι καὶ τράπεζα κ. τ. λ.

Tertio (fr. 69) altera mulier in scaenam prodit, quae e balneis modo reversa aestu et siti misere cruciatur. Glyce ei vinum dari iubet; id infunditur illa petente in poculum magnum, quod secum apportavit; sed fastidiosa repudiat vinum, quod puellula ei ministrat, quia sit aqua nimium temperatum:

(fr. 70) ἔρρ' ἐς κόρακας. βατράχοισιν οἰνοχοεῖν σε δεῖ.

Fr. 41 p. 156 et fr. 131 p. 183 notasse satis habeo; alia incertiora praetereo. Hermippi quoque duo frustula ad potationem referunda sunt: fr. 43 p. 236 (Μοῖραι):

οἶσθά νυν ὅ μοι ποίησον; τήνδε νῦν μή μοι δίδου
ἐκ δὲ τοῦ κέρατος αὖ μοι δὸς πιεῖν ἅπαξ μόνον.

et fr. 44: ἣν ἐγὼ πάθω τι τήνδε τὴν λεπαστὴν ἐκπιών,
τῷ Διονύσῳ πάντα τἀμαυτοῦ δίδωμι χρήματα.

Fabula in Capris Eupolidis fr. 8 p. 260 et fr. 12 cohaerere videntur:

fr. 8: Διόνυσε χαῖρε. μή τι πέντε καὶ δύο;
fr. 12: ˚τοῦδε νῦν γεῦσαι λαβών.

Quod Photius fr. 8 attulit (cf. K.), ut proverbium illud confirmaret: ἢ πέντε πίνειν ἢ τρί' ἢ μὴ τέτταρα, Stichi conferendus est v. 707: Cantio Graecast: ἢ πέντ' ἢ τρία πῖν' ἢ μὴ τέτταρα. Etiam in fabula Taxiarchis cena habebatur cf. fr. 250 p. 326; fr. 253, fr. 255; Phormio et Dionysus ipse una cenabant.

Fr. 58 p. 385 Phrynichi e convivio sumptum esse Meinekius coniecit, Kockio adversante:

ὦ φίλταθ' Ἑρμῆ, καὶ φυλάττου, μὴ πεσὼν
σαυτὸν περικρούσῃς κ. τ. λ.

K. adnotat: Mercurium in convivio Hermacopidarum praesentem adfuisse et vino madidum titubantemque moneri, ne cadat, non credo Meinekio; sed quae contradixit, cadunt tantummodo in Hermacopidarum convivium, non in convivium universe; itaque Meinekii coniectura de convivio quidem probanda est (cf. Most. v. 324 ss.: cave ne cadas etc.). Plato in fabula Ζεὺς κακούμενος inscripta Herculem cum meretrice cottabo ludentem induxit, cuius scaenae servata sunt tria fragmenta: fr. 46 p. 612; fr. 47; fr. 48. Et fr. 162 p. 642 fabulae Syrphacis e cena esse videtur:

δότω τις ἡμῖν μαζονομεῖον ἔνδοθεν.

cf. etiam fragmentum insequens. Ameipsiae duo fragmenta ad cenam in scaena actam redeunt; fr. 2 (p. 670: Ἀποκοτταβίζοντες):

ἡ Μανία, φέρ' ὀξύβαφα καὶ κανθάρους
καὶ τὸν ποδανιπτῆρ' ἐγχέασα θὔδατος.

et fr. 22 (p. 676):

A. αὔλει μοι μέλος,
σὺ δ' ᾆδε πρὸς τήνδ'. ἐκπίομαι δ' ἐγὼ τέως.
B. αὔλει σύ, καὶ σὺ τὴν ἄμυστιν λάμβανε κ. τ. λ.

Fortasse etiam fr. 6 Calliae (p. 695: Κύκλωπες) e convivio est:

καὶ δέξαι τηνδὶ μετανιπτρίδα τῆς Ὑγιείας.

Scolii frustulum esse videtur. Potationis, quam Theopompus in fabula Nemea fecit, maiores reliquiae exstant. Una bibunt Spinther servus et anus conserva Theolyte: fr. 32 (p. 741):

1. χώρει σὺ δεῦρο, Θηρικλέους πιστὸν τέκνον κ. τ. λ.
9. φιλοτησίαν δὲ τήνδε σοι προπίομαι.
δέξαι, πιοῦσα δ' ὁπόσον ἄν σοι θυμὸς ᾖ,
παράδος τὸ πρῶτον.

Diocles quoque in fabula Melissis potantes in scaenam induxit, cf. fr. 6 p. 768:

πῶς δὲ καὶ κεκραμένον
πίνειν τὸν οἶνον δεῖ με; B. τέτταρα καὶ δύο.

Nicophontis fr. 17 p. 779 et Philyllii fr. 7 p. 783, quorum de contextu, e quo exscripta sint, certi nihil eruere possum, notanda sunt.

Etiam in fragmentis Epicharmeis[1]) reperiri conviviorum in scaena actorum frustula, qua in materia versabatur comoedia Dorica, non mirum est. Fabulae Cyclopis scaena quaedam simillima erat illi, quam Cratinus in Ulixibus inseruit (cf. supra); eius servata sunt duo fragmenta:

fr. 81 Kaib.: ναὶ τὸν Ποτιδᾶν, κοιλότερος ὁλμοῦ πολύ.
fr. 83 Kaib.: φέρ' ἐγχέας εἰς τὸ σκύφος.

Iusta cena habebatur in fabula „Ἐλπὶς ἢ Πλοῦτος". Apud Athenaeum, cui debentur complura huius fabulae fragmenta, VI, 235e haec legis: Ἐπίχαρμος παρὰ πότον αὐτὸν (sc. τὸν παράσιτον) εἰσήγαγεν οὑτωσὶ λέγων; sequuntur fr. 34 et fr. 35. Fr. 127 quoque fabulae Sphingis ad convivium referendum esse verisimile est:

καὶ τὸ τᾶς Χιτωνέας αὐλησάτω τίς μοι μέλος.

Alia fragmenta ambigua sunt velut fr. 133.

Agmen fabularum antiquarum, in quibus potationes in scaena γέλωτος χάριν fiebant, claudat δρᾶμα σατυρικόν, Euripidis Cyclops, quasi exemplum huius generis. Ut Epicharmus in Cyclope et Cratinus in Ulixibus ita etiam Euripides narrationem illam de Cyclope ab Ulixe inebriato Homericam, magna ex parte in actionem scaenicam convertit. V. 375 ss.[2]) Ulixes antro proruit narratque, quae facinora Cyclops commiserit et quomodo ipse eum semiebrium fecerit; post v. 502 Cyclops probe adpotus cantitans in scaenam prodit, ut comissatum eat ad amicos. Quo a consilio Ulixes Sileno adiuvante aegre eum abducit; itaque ad antrum „viridi membra sub arbuto stratus" protinus bibit et crapulam potat quam maximam. — Secundas partes, haud dissimiles agit Silenus, aeque vinosus atque erus. In po-

[1]) Ea praeterire nolui, cum nunc quidem constet, iam *ἀρχαίας* poetas Epicharmum secutos esse, cf. A. v. Salis, De Doriensium ludorum in comoedia Attica vestigiis. Diss. Basel. 1905. *Μέσης* poetarum imprimis Alexis, Thuriis natus, fabulas eius expressit, cf. G. Kaibel, P.W. I, 1470, 20 ss.

[2]) editione usus sum altera Nauckiana. B. T.

tatione illa ante antrum habita cyathissans sibi soli consulit neque ei, cui ministrat. Eodem ingenio usus v. 129 ss. eri bona prodiderat pro uno poculo vini pleno, quod prorsus exhauserat in scaena.

§ 4.

Fragmentis νέας poetarum et μέσης perlustratis neque antiqua comoedia — Atticam et Doricam dico — nec satyris aemulis eius neglectis nunc redeamus ad Plautum ipsum. Cenas et potationes illas, de quibus prima huius capitis parte egimus, repetendas esse Atticis ex exemplis ipsis apparet iam nunc, quamquam de coloribus quibusdam, quibus depictae sunt, infra plura dicenda sunt. Una quasi linea duci potest ab ἀρχαίας poetis ultra μέσης poetas Diphilumque usque ad Plautum.

Menandrum Philemonemque hac in serie non nominavi, cum rarissime talia embolia apud utrumque inveniantur. Sed quodam modo etiam Menander in ea collocari potest. Nam quod ceteri νέας poetae, quod quidem concludi potest e fragmentis servatis non ita copiosis, et Terentius hoc artificio satis vulgari, ioculari, scurrili non usi sunt, magni momenti mihi quidem esse videtur nec praetermittendum Menandrum iuvenem tantummodo id adhibuisse. Fabulae Cecryphali fragmento 272 γυναικονόμοι commemorantur, quem magistratum Demetrium Phalereum constituisse eoque expulso Athenienses abolevisse constat; ex quo efficitur eam conscriptam esse inter annos 317 et 307; sed cum in novam legem sumptuariam ab eis perlatam invehatur poeta, ad priores huius magistratus annos procedendum est, quibus indignatio constitutione eorum mota recens et integra erat. Eisdem fere annis, non multo post annum 316, etiam Colacem fabulam conditam esse Koertius luculente evicit[1]) ex Astyanacte pancratiasta a scholiasta commemorato (cf. v. 121), qui a. 316 palmam accepit Olympiis; v. 783 Eunuchi Terentianae: „idem iam Pyrrhus factitavit“, quo usus indicio Bethius[2]) tempus Colacis definiebat, Terentio ipsi debetur, qui hac ipsa in scaena plura commutavit; Terentius quidem nomina etiam aliis locis non servavit; cf. v. 63 s. Heautontimorumeni Graecam versionem; praeterea haec verba dici de Pyrrho, tamquam si iamdiu mortuus sit, negari non potest. Etiam fabulam Theophorumenam in prioribus poetae

---

[1]) B. ph. W. 27 (1907) p. 647 et Menandrea[2] praef. p. 50.
[2]) Herm. 37 (1902) p. 279.

habendam esse verisimile est, ad quam scholiastae ad Eur. Androm. v. 103 verba referenda sunt: μονῳδία ἐστὶν ᾠδὴ ἑνὸς προσώπου θρηνοῦντος. ὥστ' οὔτε τὸ 'Ασιάτιδος γῆς σχῆμα μονῳδία ἐστίν ... οὔτε τὰ ἐν Θεοφορουμένῃ ᾀδόμενα[1]); cum mediae comoediae poetae lyrica embolia saepius inseruerint, ea a Menandro iuvene aliena non esse iudices. Ceterarum fabularum Menandrearum, quas altera huius capitis parte enumeravi, aetas definiri non potest. Series illa igitur, quam modo statuimus, ἀρχαίας poetae — μέσης poetae — Diphilus — Plautus, emendanda est et inserendus inter Diphilum Plautumque et coniungendus cum Diphilo Menander iuvenis.

Caput III.

§ 1.

Menander fecit Andriam et Perinthiam.
qui utramvis recte norit, ambas noverit:
ita non dissimili sunt argumento et tamen
dissimili oratione sunt factae ac stilo.

Sunt hi versus notissimi ex Andriae prologo Terentianae![2]) Menander igitur alteram fabulam Andriam et alteram Perinthiam conscripserat, quarum in utraque idem fere argumentum exstabat. Quod in νέᾳ, quae iterum atque iterum easdem res retractabat[3]), non mirum esse apparet. Sed Terentius planissime affirmat orationem stilumque[4]) alterius fabulae dissimilem fuisse alterius. Eiusdem fere argumenti fabulae eodem stilo conditae non erant! Quod testimonium, ne Menandrum quidem prima ab adulescentia eodem stilo usum esse, quod gravissimum esse ad quaestionem, in quam inquisivimus, diiudicandam patet, confirmatur loco quodam Plutarchi[5]), qui de Menandro haec scribit (comp. Aristoph. et Men. c. 2 p. 853 f., V p. 205 B):

---

[1]) Schol. in Eurip. ed. E. Schwartz, II p. 258.
[2]) editione usus sum Fleckeiseniana altera. B. T.
[3]) de tertia eiusdem argumenti fabula cf. O. Schroeder, Novae comoediae fragmenta in papyris reperta, 1915, p. 38 ss.
[4]) i. e. *χαρακτῆρα*. Ceterum voce stili methonymice, quod nos consuevimus, rarissime usi sunt scriptores antiqui.
[5]) Utrumque iudicium eodem e fonte fluxisse scilicet e doctrina grammaticorum scholastica verisimile est. Aristophanem Byzantium fabulas Menandreas plurimi aestimasse tradunt, cf. Christ.-Schmid. II, 1[5] p. 33 + adn. 4.

εἰ οὖν πρὸς τὰ πρῶτα τῶν Μενάνδρου δραμάτων τὰ μέσα καὶ τὰ τελευταῖα παραβάλοι τις. ἐξ αὐτῶν ἐπιγνώσεται, ὅσα ἔμελλεν, εἰ ἐπεβίω, καὶ τούτοις ἕτερα προσθήσειν.

Itaque cum felici casu evenerit, ut iudicii illius de Andriae et Perinthiae Menandrearum diverso stilo Terentiani examinandi facultas nobis daretur, prima huius capitis parte summatim breviterque agere mihi propositum est de Menandri Andria et Perinthia.

Terentius Andria, ut iam e titulo fabulae cognoscitur, maxima e parte Menandream Andriam expressit; sed eum quaedam addidisse, quaedam mutavisse constat. Personas Charini et Byrriae non fuisse Menandrea in fabula Donatus testis est (cf. ad v. 301), qui praeterea ad v. 14 annotat Graeco in exemplari patris soliloquio argumentum explanari. Ceteroquin Terentium diligentissime institisse vestigiis Menandri e fragmentis servatis apparet[1]). Bono ergo animo in aequo ponere possumus Menandream Andriam et Terentianam fabulam, praesertim cum nemo adhuc dubitaverit quin Terentius quam accuratissime stilum exemplorum suorum redderet. Talis igitur fingenda est Menandrea Andria. Argumentum erat simplex solidumque, fabula ipsa diligentissime composita: alia aliam astricte excipiebat scaena nec ulla embolia turbabant ordinem; scurrilia et iocularia spernebantur; ethopoeia sola spectabatur; ne plura: omnia ita inter se cohaerebant et conexa erant, ut singula membra formosi, speciosi, venusti corporis humani. Erat opusculum maturae artis divinique artificis, qui ingeniose et sollerter lineamenta adumbravit singulaque absolvebat.

Alteram fabulam, e qua Terentius „quae convenere“ suam in Andriam transtulit — Perinthiam dico — restituere difficilius est[2]). Διαλογικῶς (pater cum uxore loquitur) argumentum in ea patefactum esse spectatoribus Donatus nos docet. Sed, utrum etiam personas Charini et Byrriae e Perinthia sumpserit Terentius necne, iam incertius est; apud Donatum quidem nihil reperimus, quod ad hanc quaestionem spectet; adnotationem enim illam ad v. 301 tantummodo ad Menandream Andriam referendam esse Schoellius afferens adnotationem ad v. 977 recte contendit (p. 16).

---

1) cf. C. Dziatzko, Rh. M. 31 (1876) p. 234 ss.: Die Andrie des Menander.
2) cf. Fr. Schoell, Menanders Perinthia in der Andria des Terenz, rel. acad. Heidelberg. 1912, phil.-hist. No. 7.

Ceterum mihi quidem persuasum est et personas illas, quas Graecum ad exemplum redire per analogiam e Terentii ratione contaminandi colligitur, e Perinthia translatas esse et uxorem esse personam protaticam, quamvis evinci haec non possint. Sed haec leviora sunt; plura fragmentum Graecae ipsius fabulae quoddam et aliud papyraceum nuperrime Oxyrhynchi repertum[1]) praebent et gravissima. Fr. 397:

οὐδεμίαν ἡ γραῦς ὅλως
κύλικα παρῆκεν, ἀλλὰ πίνει τὴν κύκλῳ,

iam Grauertus cum v. 229 Andriae (de obstetrice):

sane pol illa temulentast mulier et temeraria

coniunxerat et coniecturam proposuerat probabilem illa verba dici de obstetrice vinosa[2]). Describebatur igitur a nescioquo, ut anus illa una cum compotrice sua Archylle (cf. v. 232) sibi bene esse maluisset quam officio suo fungi. Num excogitari potest quicquam magis scurrile quam potatio in puerperio, quam habent obstetrix et famula, cum parturiat mulier, quae eis commissa est? Obstetricem postea ipsam ebriam in scaenam prodisse ex Andriae sc. III, 2 lepidissima concludi potest, qua pater praecepta eius domum redeuntis auscultat, cuius similem in Perinthia fuisse verisimillimum est. Quomodo ebriam eam depinxerit poeta, coniectura tantummodo assequimur, quae facienda est e potationis satis scurrilis descriptione. Menander igitur artificio temulentae anus affatim usus est in Perinthia, cum in Andriae Terentianae v. 228 ss. modo quasi resonet. Quod si coniungimus cum Terentii de Andriae et Perinthiae diverso stilo testimonio et Plutarchi de Menandri profectu in arte iudicio, efficitur priorem fuisse fabulam Perinthiam. Quam cum retractaret, scurrilia iocularia que delevit poeta. Qua in retractatione neglegentia quadam praeteriit v. 228 ss.; qui an in eis habendi sint, quae convenere Terentio, incertius est et vix diiudicari potest.

Eodem modo alias scaenas aeque scurriles exsculpsit, cum transfunderet novum in stilum argumentum spectatoribus probatum. In Andriae sc. V, 2 Simo Davum servum, qui attulerit nuntium inexspectatum filii amicam civem esse Atticam, „sublimen intro rapi“ et „quadrupedem constringi“ iubet, cum fraude

---

1) Pap. Oxyrh. No. 855 (VI p. 150 ss.); fragmentum Menandreae Perinthiae id esse A. Koerte evidenter demonstravit Herm. 44 (1909) p. 309 ss.
2) cf. etiam Lindskog., Studien zum antiken Drama, Lund. 1897, „Miscellen“ p. 11.

se peti existimet. Contra in Perinthia servus ad aram confugit, quo γέλωτος χάριν scaenae quaedam inseri potuerunt. Quarum ex una fragmentum exstat, qua erus servum igni de ara depellere studet. Ei summam inesse vim comicam nemo negabit: servus anxius in ara sedet, sarmenta domo apportantur, senex ipse facem ardentem manu tenens assidue est occupatus, fasces circa aram cumulantur, senex servum irridet inopem, qui denique, ut est trepidus, cacans vestem inquinat. Sed quamvis sit scaena efficax ad spectatorum risum movendum, eam supervacaneam esse nec quicquam valere ad compositionem fabulae ipsius concedendum est; nam in Perinthia ita, ut in Andria Critonem Andrium, nescioquem Perinthium quasi deum ex machina omnia iucundum ad exitum perduxisse manifestum est. Nullum igitur aliud consilium poeta hac scaena secutus est nisi ut fabulam magis iocularem itaque efficaciorem efficeret.

Ergo Perinthia tumidiore et ut ita dicam scurriliore stilo conscripta est, sobrius vero est Andriae stilus! Cum Menander retractaret Perinthiam eamque in Andriam transformaret, secrevit personam protaticam[1]) omnesque scaenas, quibus carere potuit fabula quam artissime composita et lepidissime morata, recidens quasi falce superfluentes et nimium adultos pampinos, quo etiam scurrilia et iocularia omnia putabantur atque exstirpabantur. Itaque Leo[2]), qui fragmentum Oxyrhynchium antemenandreum appellavit, recte dixit, cum Perinthia a Menandro condita esset, priusquam se ipsum cognovisset, priusquam esset „Menander“.

§ 2.

Hac quaestione pertractata ad alteram progrediamur et disseramus de scurrilibus illis, quibus Menander in Perinthia usus sit, apud Plautum Terentiumque et comicos Graecos poetas artificiis. Sunt autem haec: conviviorum descriptiones[3]), ebrii in scaena, vinosae mulieres, res obscaenae, supplices ad aram confugientes[4]). Quae quin una huius capitis parte comprehenderem

[1]) Posterioribus in fabulis ea non usus est, cf. Leo. Pl. F.[2] p. 243.

[2]) Herm. 44 (1909) p. 143 ss.; offendit vir doctus in artificio κατὰ τῶν σκελῶν, cf. schol. Ar. Pac. 240: συμβολικὸν ἀπὸ τῶν διὰ δειλίαν ἀποτιλώντων.

[3]) E. Fraenkel, De media et nova comoedia etc., p. 13–33, agit de narrationibus, quae sunt de cenis vel de conviviis. Sed neglexit Plautum Terentiumque.

[4]) cf. Dieterich., Pulcinella p. 9 ss., p. 19; qui p. 19 et p. 119 opera

facere non potui, quamvis opportunum esset separatim de unoquoque quaerere, quod altero capite de conviviis in scaena actis factum est; sed et Perinthia uno eodemque vinculo omnia copulat et de quibusdam tam pauca dici possunt, ut singulas particulas disponere operae haud pretium sit. Praeterea aliter atque altero capite hac parte illam inter fabulas Terentianas et Plautinas discrepantiam accuratius proponam, quod his ipsis in artificiis haud difficile est.

§ 2a.

Cenas vel potationes dedita opera descriptas apud Terentium non invenimus, quamquam tribus in fabulis, Heautontimorumeno, Eunucho, Adelphis, occasio earum inserendarum dabatur, cum cenae post scaenam habeantur.

In Heautontimorumeno Chremes amicos suos ad cenam vocavit, ut secum Dionysia agerent. His accedunt et Clinia reversus a Clitiphone vocatus et Bacchis meretrix, quam filii amicam Chremes pro hospitis amica habet, una cum ancillis suis. Erat igitur sodalitas satis hilara! Et magnis poculis largissime se invitabant convivae. „Sed te miror, Chremes, tam mane, qui heri tantum biberis“, his verbis Syrus erum alloquitur v. 518/9. Syrus primo mane surrexit et silentio otioque matutino usus est, ut secum consuleret, quomodo viginti minis, quibus opus esset erili filio, erum tangere posset. Quo in consilio occupatus improviso vocem aliquam mitti et nomen suum pronuntiari audit. — Chremes prima luce ad vicinum se contulerat eumque certiorem fecerat filium redisse (III, 1). Itaque Menedemus statim filium visurus est; quod ne faciat, Chremes eum monet, cum filii amica filio absente immodestissima facta sit, et narrat, quomodo meretrices praeterita nocte immodice ederint et biberint:

457 ss.: nam ut alia omittam, pytissando modo mihi
quid vini absumpsit „sic hoc“ dicens „asperum,
pater, hoc est: aliud lenius sodes vide!“
relevi dolia omnia, omnes serias etc.

Itaque Menedemus ei obsequitur; quod nisi fieret, fabula continuari non potuit. — Denique, cum Chremes filium deprehenderit subigitantem amicam, quam existimat, hospitis, haec proferuntur verba v. 568 s.:

e terra cocta facta depinxit; Fr. Schmidt, De supplicum ad aram confugientium partibus scaenicis, Diss. Regimont. 1911; Leo. Pl. F.[2] p. 159 ss.

vel heri in vino quam immodestus fuisti, ... quam molestus ut equidem ... metui, quid futurum denique esset.

Deinde Chremes filium docet, quomodo verum amicum talibus in rebus se agere deceat.

Si poeta hoc convivium laetissimum copiosius descripsisset, non dubium est quin spectatorum summam gratiam risumque clarissimum capturus fuerit. Sed hoc aspernatus est et singula quaedam, quae in convivio acciderint, diversis in locis attigit, quibus usus est ad actionem fabulae stabiliendam et ad mores personarum explicandos.

Nec aliter res se habet in Eunucho! Thais cenat in domo militis, qui eam invitaverat et ipse domum abduxerat. Chremes, quem ad se vocaverat, quem fratrem Pamphilae esse non nescit, in domo militis eam convenit et a milite ea instante conviva accipitur. Ita, cum miles eum pro rivali habeat, iamiam rixa oritur inter convivas, praesertim cum miles parasiti consilium secutus (cf. v. 434 ss.), ut ipse quoque Thaidem „mordeat", Pamphilam arcessi iubeat refragante acriter Thaide. Haec enarrat Doris a Thaide cum ornamentis domum praemissa (v. 615 ss.). V. 727 ss. Chremes iterum in scaenam prodit ebrius; miratur, quod Thais non iam revererterit; se ipsum a milite foras eiectum esse, postquam Thais e convivio se subduxit. Deinde Thais ipsa redit.

Iterum igitur ea tantummodo afferuntur, quibus actio fabulae promovetur. Thaidem domi esse fingere non potuit poeta, cum „eunuchus" turbas illas efficeret; reditus eius subitus probandus erat et Chremetis adventus, quo ἀναγνώρισις perpetratur. Ad quae poeta scite usus est cena domi militis habita.

In Adelphis Syrus cum lenone ad forum abiens Ctesiphonem admonet, ut „lectulos sterni" iubeat et „parari cetera"; se ipsum lenone satisfacto cum opsonio domum rediturum esse; et Ctesipho respondet: v. 287:

... quando hoc bene successit, hilare hunc sumamus diem.

Syro reverso cenaque cocta, dum sc. IV, 3—7 aguntur, in domo Micionis potant Ctesipho, amica eius, Syrus. Syrus „cyathos sorbillans" (cf. v. 59) paulatim concaluit; itaque refrigerandi sui causa prodit in viam. Ubi offendit fortuito Demeam (sc. V, 1). Itaque, cum Ctesipho puerum iusserit revocare Syrum in convivium, omnia patefiunt; Demea filii nomen audit, domum irrumpit — „edepol commissatorem haud sane commodum praesertim Ctesiphoni!" Syrus affirmat v. 783 s. —, opprimit filium cum meretrice cubantem.

Etiam hac in fabula nisi καταστροφῆς ἕνεκα poeta cenam non adhibuit; de convivio ipso nihil comperimus; Syrum cum opsonio redeuntem habes in sc. III, 3 et post cenam ebrium in sc. V, 1. Sed poeta et a Syro et multo melius a Dromone puero[1]) post sc. V, 2 convivium describi facere potuit. Plautum similes res in scaenam ipsam detulisse iam supra (p. 6) vidimus, Terentius vix uno verbo eas significat! Ceterum etiam primam in fabulam convivii descriptionem inserere haud difficile erat. Aeschines vesperi, qui antecedit diei, quo fabula fingitur, ad cenam vocatus non iam rediit (cf. v. 1 ss.). Post convivium igitur lenonis domus expugnata est; itaque verisimillimum est ipso in convivio sodales consilium lenonis emungendi cepisse: cf. Alexid. fr. 82 II, p. 323:

πολὺς γὰρ οἶνος πόλλ' ἁμαρτάνειν ποιεῖ.

Ergo conviviorum descriptiones apud Terentium non reperiuntur, quas eum sprevisse, ut sunt nimirum ioculares, patet; et concedendum est, talia embolia apta non esse fabulis eleganter sobrieque compositis.

Contra apud Plautum duae exstant scaenae, quarum altera potatio describitur, altera convivium, quas nihil esse nisi embolia similiter ac potationis illius in puerperio descriptionem Menandream apparet, Militis Gloriosi sc. III, 2 et Pseudoli sc. V, 1. In Milite Glorioso Palaestrio v. 816 s. Sceledrum domo evocat nescioqua de causa, quam poeta non indicat. Sed iam intellegitur, cur hoc fecerit; nam Sceledri vicem Lurcio puer prodit nuntiatque Sceledrum impediri ne veniat. Multis cum cavillationibus postremo effertur eum dormientem intus stertere, octo heminas vini caldi bibisse in prandium, tam acriter „tetigisse calicem clanculum", ut iam obdormisceret, Lurcionem ipsum cyathissavisse. Cum Palaestrio instantius inquirat, Lurcio enuntiat, hoc saepius iam factum esse (cf. v. 853 ss.). Itaque Palaestrio minatur se omnia ad erum delaturum esse; quam ob rem Lurcio simulans se a Philocomasio aliquo missum esse se proripit.

Poetam dedita opera γελοίου χάριν pluribus describere, quomodo cellarius et subpromus ero absente morem sibi gesserint, manifestum est nec dubium, quin assecutus sit, quod sibi pro-

[1]) Exempli causa cf. sc. IV, 4 Captivorum Plautinae.

posuisset. Scaena est hilarissima. Neque tamen quicquam valet ad compositionem fabulae ipsius. Quo factum est, ut viri docti, quicumque de Militis Gloriosi compositione disseruerunt, in ea haererent, praesertim cum pugnare videretur cum exitu sc. II, 6. Et Lorenzius[1]) quidem eo progressus est, ut eam Plauto ipsi vindicaret, qua usus singulas partes diversis ex exemplis Graecis suam in fabulam sumptas conglutinavisset. Itaque fieri non potest, quin tangam quaestionem illam pertractatam, quid iudicandum sit de Militis Gloriosi compositione[2]). Argumentum fabulae paucis enarrare non inopportunum est. Miles ad forum abiit et Philocomasium occasione oblata usa domum vicinam per parietem perfossum transiit. Sed perincommode accidit, quod servus quidam militis, qui in tectum vicinum simiam sectatus transscenderat, eam osculantem cum Pleusicle vidit, e tegulis per impluvium prospiciens. Itaque periculum est, ne miles resciscat, quae servus viderit. Fraudem hoc modo patefieri necesse est. Quod ne eveniat, consilium capitur callidissimum geminae sororis Philocomasio fingendae, quae domi vicinae hospita versetur. „Erus meus elephanti corio circumtentust, non suo, neque habet plus sapientiai quam lapis“ asseverat Palaestrio v. 235 s. Sed sc. II, 3 Sceledrus cum Palaestrione communicat facinus illud nequissimum Philocomasii, quo Palaestrio comperit, quis fuerit, qui eam oppressit; quod antea nesciebatur. Itaque Sceledrus petitur sc. II, 4; 5, quarum est finis Sceledro persuasum esse se vidisse geminam sororem, non Philocomasium ipsam, eumque polliceri se taciturum esse. Quae cum ita sint, miles omnino non comperiet, quae acciderint! Hoc periculo remoto nunc miles ipse ita decipiendus est, ut Philocomasium „excludat

[1]) cf. praef. ed. alt. (1886) p. 35.

[2]) In eis qui fabulam pro contaminata habent, imprimis nominandus est Leo, Pl. F.[2] p. 178 ss. Contrariam in sententiam scripserunt Th. Hasper, De compositione Militis gloriosi, Progr. Dresden. 1897; Th. Kakridis, Rh. M. 59 (1904) p. 626 ss.; J. Franke, De compositione Militis gloriosi, Diss. Lips. 1910. Nuperrime de compositione fabularum Plautinarum recte aestimanda scripserunt et W. Schwering, Die sogenannte Kontamination in der lateinischen Komödie, N. I. 1916 p. 116 ss., et H. W. Prescott, The interpretation of Roman comedy, Class. phil. XI (1916) p. 125 ss. Uterque contaminationis coniecturam libenter a criticis factam repudiavit. Cum ego iam antea eadem in sententia fuerim (cf. cap. IV, VI), opinio mea eis, quae uterque proposuit, nisi firmata non est; et confido etiam alios criticos quaestione sine ira et studio inita hanc sententiam probaturos esse.

foras“. Etiam hoc perpetratur fictis illis et uxore vicini et matre sororeque Philocomasii, quae Ephesi versentur sed iam Athenas rediturae sint.

Quod poeta artificio parietis perfossi ad os militi sublinendum non usus est, hanc libertatem vel, si mavis, licentiam ei concedendam non esse mihi quidem critici non probaverunt. Ἀμούσως existimantis est contendere, eum artificium illud, quia altera parte eo usus esset, etiam altera adhibere debuisse. Ex v. 235 s., quos supra exscripsi, ea, quae critici concluserunt, omnino non efficiuntur, cum ante scaenam illam II, 3 dicantur, qua Sceledrus primum prodit. Quam ante scaenam ignorabatur servus, qui Philocomasium vidisset; itaque exspectandum erat, rem iam futuram esse cum milite ipso certiore facto. Poeta igitur, qui priore scaena II, 2 Palaestrionem de milite ipso ludificando cogitantem induxit, vituperandus non est. Praeterea altera fabulae parte non neglegitur artificium parietis perfossi nec ficta illa gemina soror, quae saepius commemoratur. Qua in sororis mentione sane poeta militem facere potuit optantem, ut soror secum colloqueretur. Neque tamen fecit! Hoc eum in animo habuisse nescio an e v. 806 ss. appareat, in quibus critici saepissime offenderunt. Sed in eis statim quaeritur (cf. v. 809) „sed quid meminisse id refert“ et respondetur „ego enim dicam tum, quando usus poscet. interea tace“. Poeta igitur de consilio illo geminae sororis etiam milite intuente in viam producendae destitit nescioquibus de causis, de quibus quaerere frustra est.

Sed, etsi negari non potest, unum eundemque poetam totam fabulam quasi concepisse et peperisse, tamen inesse in ea, qualis ad nostra saecula pervenit, repugnantias et discrepantias quasdam manifestum est. Sc. III, 2, cuius causa omnino in compositionem fabulae inquisivimus, non cohaeret cum exitu alterius actus. Post v. 581 s. Sceledrus domo aufugit (cf. etiam v. 593); sed domi potavisse eum et nunc intus stertere, docet nos sc. III, 2. Et, quamquam eum inter actum II et III domum rediisse non sine aliqua probabilitate coniciat quispiam, tamen poeta Palaestrionem eum domo evocantem facere non potuit. Sed iuxta v. 581 s., 593 legis hunc (v. 585):

verum tamen de me quidquid est, ibo hinc domum,

qui versus et sc. III, 2 invicem se fulciunt. Quaerendum igitur est, quomodo hi versus iuxta positi explicandi sint. Plerique

contendunt actu II id solum spectari, ut Sceledrus custos removeatur, ne impedimento sit Philocomasio; quod impetrari fuga eius. Leonis verba ipsa afferre mihi liceat[1]): Erreicht war im zweiten Akte die Entfernung des custos, die Freiheit des Verkehrs etc., et: Vor III, 1 wird Skeledrus zur Flucht gebracht, damit ist der Wächter unschädlich gemacht etc. Sed his verbis perperam dictis Leo poetae consilium subicit, quod actu II minime persecutus est. Propositum actus II est efficere, ut illud, quod scit, nesciverit Sceledrus neve viderit, quod vidit (cf. v. 572 s.), neque id, quod Leo proponit. Ceterum Sceledrus Philocomasio nullo modo impedimento est, quae eum neglegens domum vicinam transiit[2]); et versibus 867 ss. nimium tribuunt critici, quorum acumen in eo positum esse apparet, quod demonstratur, quomodo Palaestrio callidissimi illius consilii auctor ipse a Lurcione puero decipiatur: cf. v. 867: modo intellexi, quam rem mulier gesserit; sed Philocomasii mandatum a Lurcione fictum est. Ergo neutiquam v. 581 s., 593 genuinum actus exitum praebent; eius frustulum est v. 585. Qui nobis exstat finis actus II, ad retractatorem redit, qui mutuatus artificium servi fugitivi e scaena III, 2 (cf. Lurcionem effugientem poenam) fine actus II Sceledrum fuga salutem petentem fecit, ut sc. III, 2 supervacanea deleri posset. Idem etiam sc. III, 1 coartavit, cuius v. 612 ss. ad finem praeteriti actus respiciunt. Quod Leo[3]) de versu 585 scribit: er ist augenscheinlich zur Ausgleichung mit der Lucrioszene, in der Skeledrus daheim erscheint, zugefügt. Dies ist wahrscheinlich zum Zweck der Aufführung geschehen, nullo modo probanda est opinio, qua ponitur, Plautum contaminantem alteram quidem partem cum altera diligentius quasi compluribus fibulis subnexuisse sed hoc ipso in loco, quamvis facile esset, versus quosdam expungere, tam neglegenter se gessisse.

Ergo non est, cur fabulam pro contaminata habeamus[4]), nec, cur sc. III, 2, qua Lurcio prodit, a Plauto ipso conscriptam esse accipiamus. Sc. III, 2 embolium est spectatorum gratia insertum!

---

[1]) Pl. F.[2] p. 179; p. 184.

[2]) cf. sc. II, 2.

[3]) Pl. F.[2] p. 184.

[4]) Exemplar Graecum inter annos 306 et 281 conscriptum est, (cf. v. 75, 949) cf. Hueffner. p. 26 ss., qui diligentius tempus eius definiens cogitat de annis 299 et 287.

Hanc scaenam, ut Lorenzius Plauto ipsi addixit, ita Leo[1]) alteram convivii descriptionem, Pseudoli sc. V, 1, ad quam nunc transimus, poetae barbari commentum esse sibi persuasit.

Pseudolus coronatus et bene potus in scaenam prodit. Pedibus suis appellatis, helluatione luxuque hymno celebratis enarrat, quomodo „hostibus fugatis" intus erilis filius cum amicis potaverit; se ipsum in convivio Ionice saltavisse, qua arte cinaedica summas convivarum „parum" iterum atque iterum clamitantium laudes se tulisse; sed postremo se cecidisse, vinum, quod bibisset, evomuisse palliumque misere inquinavisse. Quidquid hac de descriptione iudicandum est, spectatores eam non minimi aestimaturos esse poeta non ignorabat; ceterum artem suam Pseudolus etiam in scaena ostentavit, qua spectatores multo hilariore animi affectu motos esse patet (cf. Persae Stichique finem). Ad cenam, quae describitur a Pseudolo, spectatores iam v. 946/48, 1039, 1051 praeparantur. Leo quidem in eo offendit, quod v. 1282 (inde huc exii, crapulam dum amoverem) discreparet a v. 1283 (nunc ab ero ad erum meum maiorem venio foedus commemoratum). Sed coniectura viri doctissimi haud difficulter dissolvi potest[2]). Pseudolus prodit in viam, sub divo reficitur; itaque consilium capit pecuniae sibi pactae reposcendae evocatque magna voce Simonem v. 1284. Leo, qui eiusmodi descriptionem nova comoedia haud dignam existimabat, in versibus haerebat, in quibus omnino non insunt repugnantiae. „Inde huc exii, crapulam dum amoverem", Pseudolus idem facit, quod Syrus in Adelphis (763 ss.); in eis igitur facile similis descriptio inseri potuit, dummodo poeta voluisset; idem cadit in Eunuchi v. 724 ss., quibus Chremes non aliter ac Pseudolus pedes suos culpat[3]).

Haec de conviviorum apud Plautum et Terentium descriptionibus. Vino hilarati, ebrios vix dicas, bis in fabulis Terentianis in scaenam prodeunt, alter est Chremes in Eunucho (v. 727 ss.):

---

[1]) Pl. C. p. 41.

[2]) cf. etiam G. Walther, De contaminationis apud Plautum et Terentium diversa ratione Diss. Jenens. 1910 p. 44 ss.

[3]) Pseudolus fabula — eam contaminatam non esse ego quidem mihi persuasi cf. Teuffel.-Kroll. I p. 175 s. — Graece conscripta est a. 309/8 cf. Hueffner. p. 11 ss.

attat data hercle verba mihi sunt. vicit vinum quod bibi
at dum accubabam, quam videbar mihi pulcre esse sobrius
postquam surrexi, neque pes neque mens satis suom officium facit.

Deinde a Pythia salutatus proverbium illud explanat: sine Cerere et Libero friget Venus. Sed iam est sanus et sobrius. Etiam alter, Syrus in Adelphorum sc. V, 1, paululum titubans agendus est: v. 763 ss.:

edepol, Syrisce, te curasti molliter
lauteque munus administrasti tuom etc.

V. 785/6 abit villum in angulo edormiturus. Utraque vero in fabula poeta non id spectavit, ut spectatorum gratia ebrium induceret, sed ad altiora animum intendit. Eunuchi sc. IV, 5 quasi contraria scaenae III, 3 composita est; qua Chremes truculentus, saevus, cautusque sapit paedagogi praecepta, quae oblitus est sc. IV, 5, postquam vinum gustavit. In Adelphis Syri vinosi summa felicitas opponitur Demeae indignationibus, qui conviciis et castigationibus incessit potatorem: v. 773 ss.:

in ipsa turba atque in peccato maxumo,
quod vix sedatum satis est, potasti, scelus etc.

Apud Plautum Pseudolus (cf. supra) titubans et vacillans in scaenam prodit. Rixatur cum pedibus suis: v. 1246 ss:

Quid hoc? sicine hoc fit? pedes statin an non?
An id voltis ut me hinc iacentem aliquis tollat?
Nam hercle si cecidero, vostrum erit flagitium,
Pergitin pergere? etc.

Quin innititur postea etiam in ero suo, ne cadat, et irructat saepius in eum, quod se purgat asseverans: „suavis ructus mihi est sic sine" (1301). Tamen iam est profectus, quod in ructando acquiescit neque iterat ea, quibus „intus" e crapula se allevaverat. Histrioni nimirum licuit iam in sc. V, 1 Pseudolum γελοίου χάριν ructantem agere.

Similiter in Mostellaria Callidamates ebrius ilocaliter depingitur. Lingua non iam officio suo fungitur, „ma-ma-madere", „o-o-ocellus" balbutit; pedes deficiunt; aegre meretrix eum tenet, ne cadat; nescit, quo iturus sit; salaces libidines eum torquent. Attamen statim obdormit, ubi in lectulo consedit. Deinde, cum e somno suscitatur, prima haec sunt eius verba v. 373:

vigilo, cedo ut bibam;

cum patrem revertisse Philolachetis ei dicunt, respondet v. 377:

i, iube abire rursum: quid illi reditio etiam huc fuit.

et rursus obdormit. Iterum suscitatus, fortis fit patremque petiturus est. Denique intro abripitur et abit his verbis pronuntiatis (386):

iam hercle ego vos pro matula habebo, nisi mihi matulam datis.

His, quamvis supervacanea per se sint, spectatorum summos risus motos esse apparet. Ceterum histrio, qui Callidamatis partes sustinuit, in singulis ultra poetae praecepta procedere potuit et Callidamatem stertentem facere; quod artificium in Militis sc. III, 2 adhibetur.

Multo hilarior utriusque scaenae, quod quidem e versibus servatis concludi potest, erat sc. III, 6 Amphitruonis fabulae. Prodeunt in ea Mercurius = Sosia, Amphitruo. Amphitruo Naucratem non invenit domumque revertit; sed Mercurius iam antea eum animadvertit et in tectum ascendit, unde Amphitruonem deludat; in eo ebrium se adsimulaturus est (v. 999: capiam coronam mihi in caput, adsimulabo me esse ebrium = v. 1007 ornatum capiam, qui potis decet). Amphitruo fores clausas pultat et prodit in tectum Mercurius, qui maledictis eum accipit et minatur:

optimo iure infringatur aula cineris in caput (fr. III)[1]).
ne tu postules matulam unam tibi aquai infundi in caput (fr. IV)[2]).

Infra Amphitruo saeviens, supra Mercurius = Sosia ebrius, uterque tumultuans et clamitans, quantum potis est plenissima voce! Hic est iam ludus iocularis![3])

Vinolentia mulierum apud Terentium Andr. 228 ss., Heautont. 457 ss. (cf. supra) (cf. etiam Eun. 655, Ad. 353, Andr. 769) tangitur — v. 767 ss. Hecyrae praetereo —; saepius apud Plautum, velut Asin. 799 ss., Aul. 354 ss., 557 s., Cas. 639 s., Cist. 19, 127, 149, 542, Ep. 567, Mil. 107, Most. 158, Pers. 170, Pseud. 183, 221 Truc. 312. Sed persecutus est hoc artificium, ut Menander in

---

[1]) cf. Curc. 396, Capt. 89.

[2]) cf. Cist. 35.

[3]) Exemplum Graecum — contaminata non est fabula (cf. infra cap. VI) — conscriptum est post Alexandrum Magnum, cuius ratio decertandi respicitur in pugnae descriptione (v. 203 ss.) cf. Hueffner. p. 71.

Perinthia, Plautus solus in Curculionis sc. I, 1; 2, de quibus iam supra (cap. II § 1) dixi.

Artificio δούλου ἀποτιλῶντος, quo Menander in Perinthia usus est, neque apud Plautum neque apud Terentium par invenimus. Sed similis generis est Pseudolus evomens et ructans; nec meliores cavillationes coquorum sunt in Aulularia fabula (cf. v. 304 ss.) versusque 164 ss. Menaechmorum aliaque.

Itaque restat, ut de artificio ad aram confugientium quale sit apud Terentium Plautumque disseram.

Terentius semel id attingit Heautontimorumeni v. 975 s. Syrus, ut erilem filium servet, omnem culpam in se transfert, sed erus respondet:

> ne te admisce: nemo accusat, Syre, te: nec tu aram tibi
> nec precatorem pararis.

Artificium igitur commemoratur, sed repudiatur! Apud Plautum duabus in fabulis adhibetur in Mostellaria et in Rudente, quae ad Diphili exemplar quoddam redit. In Mostellaria Theopropides, cum senserit os sibi plane et probe sublitum esse, exemplum statuere vult in Tranione; vicinus servos suos etc. in usum eius tradidit. Sed Tranio subauscultat verba, quae senex domo exiens ad servos loquitur, et praemonitus est. Senex ei narrat vicinum negare se filio domum vendidisse et servos pollicitum esse se quaestioni (quaestio i. e. βασανισμός) daturum esse; adicit se eos iam evocaturum esse. Quam ob rem Tranio in ara considit, ne servi ad eam confugere possint, ut ero affirmat. Senex deinde lepidissimis alloquiis e refugio eum elicere studet; Tranio argutiis respondet, dum senex minatur: v. 1114:

> iam iubebo ignem et sarmenta, carnufex, circumdari.

Sed ne hoc quidem perturbat Tranionis aequum animum; nec desistit arrogantibus verbis, cum Callidamates deprecator in scaenam prodierit, qui aegre indutias conficit. Eximiam inesse vim comicam his in scaenis apparet ut tota in Mostellaria. Maioris autem momenti est, quod senex tantum minatur, se igne petiturum esse servum, nec tamen exsequitur, quae minitatus est, quamquam servi vicini, qui post fores insidiantur, aliaque ei praesto sunt. Facile igitur scaena similis eius, quam in Perinthia inveniebamus, adici et fabula etiam hilarior effici potuit. Sed ab hoc poeta iam destitit.

Similiter in Rudentis sc. III, 3—5 Palaestra et Ampelisca, postquam leno „intus" in Veneris fano eas signo depulit, quod amplexae erant, in scaena ad aram confugiunt. Leno quamvis mulcatus a Daemone eiusque servis iterum eas e refugio depturus est et „ignem magnum" facturus est, ut vivas eas potius comburat (cf. 768) quam effugere eas sinat. Sed cum Daemonis villa sola prope adiaceat et Daemones ipse quoque puellas tueatur, leno impeditur, quominus dicta peragat. Hae scaenae aliis quibusdam coloribus efficaciores redditae satis vegetae sunt. Sed supervacaneas eas iudicemus, quibus ea, quae „intus" facta narrentur, iterum in scaena agantur. Poeta quidem hoc neglexit, cuius magis intererat spectatorum animos delectare.

Ergo in fabulis quibusdam Plautinis eadem vel similia artificia adhibentur, quibus Menander iuvenis in Perinthia usus est, quae postea retractata fabula ut nimis scurrilia delevit. Contra Terentii fabulae eodem in gradu collocandae sunt atque Andria Menandrea. Eadem igitur, quae Terentius de Andriae et Perinthiae Menandrearum diverso stilo dixit, cadunt etiam in stili dissimilitudinem, quae est inter fabulas Terentianas et Plautinas Plautus : Terentius = Περινθία : Ἀνδρία!

§ 2b.

Haec artificia, quae Menander senior eumque secutus Terentius sprevit, comicae quasi supellectilis erant iam apud antiquos poetas. Et inveniuntur apud μέσης poetas et νέας quosdam scilicet eos, qui Menandri sectatores non erant. Haec demonstrare nunc aggrediamur.

Ut comoedia Epicharmea[1]) et satyri[2]), ita etiam ἡ ἀρχαία conviviorum descriptiones[3]) adamabat. Luculentissimum exemplum exstat in Vespis Aristophanea; v. 1299 ss. Xanthias puer describit, quomodo Philocleon in convivio inter urbanissimos nobiles se gesserit: v. 1304 ss.:

> εὐθὺς γὰρ ὡς ἐνέπλητο πολλῶν κἀγαθῶν,
> ἐνήλατ', ἐσκίρτα, πεπόρδει, κατεγέλα,
> ὥσπερ καχρύων ὀνίδιον εὐωχημένον.
> κἄτυπτε δή με νεανικῶς, παῖ παῖ καλῶν κ. τ. λ.

---

[1]) cf. exempli causa fr. 21 K. Busiridis et plurima fabulae Hebae nuptiarum fragmenta.

[2]) Velut Euripides in Cyclope (411 ss.) et in Alcestide (747 ss.).

[3]) Supra capite II de conviviis in scaena actis tantummodo disserui; conviviorum descriptiones quin huic capiti reservarem, facere non potui, quae essent in numero artificiorum, quibus Menander in Perinthia usus est.

Fragmentorum Aristophaneorum fr. 270 (I p. 461), fr. 288 (p. 466), fr. 430 (p. 503) aliaque ad descriptionem convivalem referenda sunt. Ceterorum ἀρχαίας poetarum fragmenta quaedam E. Fraenkel p. 20 attulit; sed conferas velim etiam fr. 69 p. 620 Platonis et Philyllii fr. 5 fr. 6 p. 783; alia minora neglexi. Μέσης et νέας poetarum fragmenta huc spectantia pleraque iam Fraenkelius collegit, quamquam „eas tantum examinat, ex quibus imprimis poetarum ratio et tragicorum exemplorum vis agnoscatur". Latissime hoc genus descriptionum patuit! Sed quaedam et imprimis ea, quae ut suo ab consilio aliena praeteriit, quae ad nostram quaestionem plurimi esse videntur, afferam.

Sc. I, 1; 2 Curculionis Plautinae comparia sunt fr. 80, 81, 82 Eubuli (II p. 192), e fabula Pamphilo servata:

fr. 80: ἐγὼ δέ, καὶ γὰρ ἔτυχεν ὂν κατ' ἀντικρὺ
τῆς οἰκίας καινὸν καπηλεῖον μέγα
ἐνταῦθ' ἐπετήρουν τὴν τροφὸν τῆς παρθένου
κεράσαι κελεύσας τὸν κάπηλόν μοι χόα
ὀβολοῦ, παραθεῖναι θ' ὡς μέγιστον κάνθαρον.
fr. 81: ὁ δὲ κάνθαρος πάλαι κενὸς ὡς ξηραίνεται.
fr. 82: ἅμα δὲ λαβοῦσ' ἠφάνικε πηλίκον τινὰ
οἴεσθε μέγεθος *ἀρεσιαν*; μέγαν πάνυ,
καὶ ξηρὸν ἐποίησ' εὐθέως τὸν κάνθαρον.

„Tria haec fragmenta ex eadem narratione excerpta sunt, inebriat nescioquis amatae puellae nutricem, cuius fr. 2 esse videtur dolentis, quod tam diu cantharus sit siccus. rursus dato a caupone vino cantharum celerrime ebibit" K. adnotavit. Eadem, quae Pamphilus, quem ipsum loqui consentaneum est, his fragmentis enarrat, in Curculione in scaena aguntur! Mira est similitudo! Scaenae Curculionis sane efficaciores sunt, cum poeta vinosam illam anum in scaenam detulerit. Alexidis fr. 85 p. 324 fabulae Hesionae comparari potest cum Mostellariae v. 373 (Callidamates, Callidamates, vigila. — vigilo: cedo ut bibam). Hesione (cf. fr. 86) haec de Hercule dicit:

γενόμενος δ' ἔννους μόλις
ᾔτησε κύλικα, καὶ λαβὼν ἑξῆς πυκνὰς
ἕλκει καταντλεῖ κ. τ. λ.

Nec minoris sunt fr. 97 (p. 328: Ἰσοστάσιον) et fr. 222 (p. 379: Ταραντῖνοι). In fragmento 97 haec legis:

ἀπὸ συμβολῶν ἔπινον, ὀρχεῖσθαι μόνον
βλέποντες, ἄλλο δ' οὐδέν, κ. τ. λ.

Critici ὀρχεῖσθαι „nequaquam aptum" iudicaverunt; sed saltatio et potatio separari non possunt, cf. fragmentum incerti poetae apud Athen. X p. 428a:

οἶνος ἄνωγε γέροντα καὶ οὐκ ἐθέλοντα χορεύειν.

quod iam Eriphus (fr. 1 II p. 428) expressit:

λόγος γάρ ἐστ' ἀρχαῖος οὐ κακῶς ἔχων.
οἶνον λέγουσι τοὺς γέροντας, ὦ πάτερ,
πείθειν χορεύειν οὐ θέλοντας.

Et in Vespis Aristophanea Philocleon adpotus totam per noctem saltationi se dedit: cf. v. 1476 ss.:

ὁ γὰρ γέρων ὡς ἔπιε διὰ πολλοῦ χρόνου
ἤκουσέ τ' αὐλοῦ, περιχαρὴς τῷ πράγματι
ὀρχούμενος τῆς νυκτὸς οὐδὲν παύεται
τἀρχαῖ' ἐκεῖν' οἷς Θέσπις ἠγωνίζετο.

et saltans in scaenam prodit. Conferenda etiam ea sunt, quae Aristophanes Nub. v. 533 ss. in Eupolide vituperat, qui exscripserit Equites:

προσθεὶς αὐτῷ γραῦν μεθύσην τοῦ κόρδακος εἵνεχ' κ. τ. λ.

aliique loci[1]). Ebrius saltat! Alterum Alexidis fragmentum hoc est: 222:

τοῦτο γὰρ νῦν ἐστί σοι
ἐν ταῖς Ἀθήναις ταῖς καλαῖς ἐπιχώριον.
ἅπαντες ὀρχοῦντ' εὐθὺς ἂν οἴνου μόνον
ὀσμὴν ἴδωσιν. B. συμφορὰν λέγεις ἄκραν.
A. φαίης ἂν εἰς συμπόσιον εἰσελθὼν ἄφνω.
καὶ τοῖς μὲν ἀγενείοις ἴσως ἔπεστί τις
χάρις. ἀλλ' ἐπὰν δὴ τὸν γόητα Θεόδοτον,
ἢ τὸν παραμασύντην ἴδω τὸν ἀνόσιον
βαυκιζόμενον τὰ λευκὰ τ' ἀναβάλλονθ' ἅμα,
ἥδιστ' ἂν ἀναπήξαιμ' ἐπὶ τοῦ ξύλου λαβών.

Saltare est summae insaniae (cf. Men. 197 ss., Ter. Ad. 750 ss.), quo hilarius est, quod Periplecomenus, lepidissimus ille senex, gloriatur Mil. v. 668:

tum ad saltandum non cinaedus malacus aequest atque ego.

Itaque facile intellegitur, cur servi tantum saltent in scaena apud Plautum in Persa, Sticho, Pseudolo. Neque negari potest tales saltationes cinaedicas iam Atticis in exemplis fuisse.

---

[1]) Exempli causa cf. Mnesimachi fr. 4 (II p. 437) v. 18 s.:
πρόποσις χωρεῖ· λέπεται κόρδαξ
ἀκολασταίνει νοῦς μειρακίων.

Ebrios primum in scaenam induxisse Cratetem tradunt[1]). Aristophanes et aliis in fabulis et in ea, quam conscripsit Nubibus exactis monitus, quales fabulas flagitarent spectatores plausuque acciperent (cf. fabulam Pytinam, qua Cratinus a. 423 palmam detulerat) inter alia etiam hoc artificio usus est. Philocleon ebrius cum fidicina, quam e convivio eripuit, in scaenam prodit et nugatur iaculariter, ut est rusticus et agrestis cf. v. 1326 ss. Euripides quoque in Cyclopis v. 503 ss. Cyclopem ebrium in scaena fecit cantantem et — ructantem cf. v. 523:

ἐρυγγάνω γοῦν αὐτὸν ἡδέως ἐγώ.

Apud Antiphanem in fabula Carina (cf. cap. II § 2) ebrius συμποσίαρχος magna pocula sodalibus propinabat. Fr. 199 (p. 96 Σκύθαι ἢ Ταῦροι) et fr. 272 (p. 123) κωμάζοντες in scaena versantur. Fr. 82 (p. 45 Δίδυμοι) nescioquis satur omnium rerum καταβεβρωκὼς σιτία ἴσως ἐλεφάντων τεττάρων e convivio prodit. Eubuli fr. 126 (p. 209) hoc legis:

Σίκων ἐγὼ
βεβρεγμένος ἥκω καὶ κεκωθωνισμένος κ. τ. λ.

Fr. 127 nescioquis invehitur in mulierem vini plenam graviterque iratam; fr. 30 (p. 175 Δόλων) Dolon ipse loquitur:

ἐγὼ κεχόρτασμαι μέν, ἄνδρες, οὐ κακῶς,
ἀλλ' εἰμὶ πλήρης, ὥστε καὶ μόλις πάνυ
ὑπεδησάμην ἅπαντα δρῶν τὰς ἐμβάδας.

Philetaeri fr. 16 (p. 234 Τηρεύς) spectat ad ebrium in scaena versantem. Ephippi fr. 25 p. 263 ebrius rixatur cum nescioquo. Alexidis in fabula Opora unus e convivis in convivio iam ebrius est (cf. cap. II § 2). Quomodo eum poeta depinxerit, e fr. 301 p. 403 apparet:

οὐ μεθύω τὴν φρόνησιν, ἀλλὰ τὸ τοιοῦτον μόνον,
τὸ διορίζεσθαι βεβαίως τῷ στόματι τὰ γράμματα.

cf. Mostellariam: ma-ma-madere, o-o-ocellus! Similiter scurriles sunt versus fragmenti 87 (p. 325 Θεοφόρητος):

οἶμαί γ' ἐπιτιμᾶν τῶν ἀπαντώντων τινὰς
ἡμῖν, ὅτι τηνικαῦτα μεθύων περιπατῶ.
ποῖος γάρ ἐστι φανός, ὢ πρὸς τῶν θεῶν,
τοιοῦτος οἷος ὁ γλυκύτατος ἥλιος.

Fr. 244 p. 386 quoque comissantis est. Axionicus fr. 1 (p. 411 Τυρρηνός) ebriam meretricem in scaenam induxit. Apud Diphilum fr. 46 (p. 556 Ἡρακλῆς) Hercules adpotus in scaena versatur:

[1]) cf. Christ.-Schmid. I[6] p. 411 et adn. 3.

ἐμὲ μὲν οὐχ ὁρᾷς πεπωκότα
ἤδη τ' ἀκροθώρακ' ὄντα καὶ θυμούμενον κ. τ. λ.

(ἀκροθώρακες Hesych. μέθυσοι cf. K.). Sed cum frustula tantum μέσης et νέας exstent, facere non possumus, quin etiam singulos colores, quibus apud Plautum ebrii depinguntur, et eos quidem, qui non iam occurebant, exemplaribus e Atticis petitos esse demonstremus. Quod Mercurius in Amphitruone fabula minatur, se aulam cineris et matulam aquae deiecturum esse in Amphitruonem, similiter serva apud Antiphanem[1]) fr. 25 (p. 19 'Αλειπτρία) minatur:

ἐὰν δὲ τοὐργαστήριον ποιῆτε περιβόητον
κατασκεδῶ, νὴ τὴν φίλην Δήμητρα, τὴν μεγίστην
ἀρυταίναν ὑμῶν ἐκ μέσου βάψασα τοῦ λέβητος
ζέοντος ὕδατος.

In Lysistrata Aristophanea et senes v. 377 ss. et proboulus v. 612 ss. a mulieribus aqua perfunduntur in scaena. Ab ebrio matulam iaci iam Aeschylus[2]) fecit fabula Ostologis (fr. 180 N.[2]):

ὅδ' ἐστὶν ὅς ποτ' ἀμφ' ἐμοὶ βέλος
γελωτοποιόν, τὴν κάκοσμον οὐράνην
ἔρριψεν οὐδ' ἥμαρτε· περὶ δ' ἐμῷ κάρᾳ
πληγεῖσ' ἐναυάγησεν ὀστρακουμένη
χωρὶς μυρηρῶν τευχέων πνέουσ' ἐμοί.

Idem artificium etiam Sophocles adhibuit, qui Achivorum convivio servum lamentantem induxit (fr. 140 N.[2]):

ἀλλ' ἀμφὶ θυμῷ τὴν κάκοσμον οὐράνην
ἔρριψεν οὐδ' ἥμαρτε· περὶ δ' ἐμῷ κάρᾳ
κατάγνυται τὸ τεῦχος οὐ μύρου πνέον.
ἐδειματούμην δ' οὐ φίλης ὀσμῆς ὕπο.

Quod Callidamates in Mostellaria matulam sibi dari iubet, hoc esse suum inventum gloriatur Alcibiades in Eupolidis fr. 351 I p. 350:

Αλκ. εἶεν· τίς εἶπεν: „ἀμίδα παῖ" πρῶτος μεταξὺ πίνων;
B. Παλαμηδικόν γε τοῦτο τοὐξεύρημα καὶ σοφόν σου.

Apud Aristophanem in Thesmophoriazusis Mnesilochus interrogatus a mulieribus de sollemnibus praeterito anno celebratis haec dicit de muliere potante: v. 633:

σκάφιον Ξένυλλ' ᾔτησεν· οὐ γὰρ ἦν ἀμίς.

[1]) Athen. III, 123b: *φέρεται τὸ δρᾶμα καὶ ὡς Ἀλέξιδος.*
[2]) cf. Wilamowitz. „Berliner Klassikertexte" V, 2 p. 71 adn. 3.

Epicratis[1]) fr. 5 (II p. 284) fabulae Dysprati servus ille queritur:

τί γὰρ
ἔχθιον ἢ „παῖ, παῖ“ καλεῖσθαι παρὰ πότον,
καὶ ταῦτ' ἀγεννείῳ μειρακυλλίῳ τινί
ἢ τὴν ἀμίδα φέρειν κ. τ. λ.

Item coquus fr. 43 p. 553 Diphili cf. v. 34 s.

τὸ μισθάριον γὰρ ἂν ἀπαιτῇς „ἀμίδα μοι
ἔνεγκε πρῶτον“ φησίν.

supplendum est ὁ ἀπὸ συμβολῶν συνάγων. Denique, quod Pseudolus in erum suum irructat, conferendi sunt v. 912 ss. fabulae Vesparum de cane altero:

ἔμοι γέ τοι
τυροῦ κάκιστον ἀρτίως ἐνήρυγεν
ὁ βδελυρὸς οὗτος.

et fr. 126 p. 422 Aristophanis e narratione conviviali sumptum:

ὁ δὲ μεθύων ἤμει παρὰ τοὺς ἀρχηγέτας.

Nec praetereunda sunt et fr. 43 Diphili, cuius v. 21 mercator Byzantinus ὄανεῖ' ἐρυγγάνων appellatur, et fr. 2 Diodori (II, 420) v. 35 ss., quo parasitus lamentatur de artis suae ruina: nunc quaeri parasitos:

κολακεύειν δυναμένους
καὶ πάντ' ἐπαινεῖν. οἷς ἐπειδὰν προσερύγῃ
ῥαφανῖδας ἢ σαπρὸν σίλουρον καταφαγών
ἴα καὶ ῥόδα φασὶν αὐτὸν ἠριστηκέναι.
ἐπὰν δ' ἀποπάρδῃ μετά τινος κατακείμενος
τούτων προσάγων τὴν ῥῖνα δεῖθ' αὐτῷ φράσαι
πόθεν τὸ θυμίαμα τοῦτο λαμβάνει.

De vinolentarum mulierum partibus in comoedia Graeca[2]) iam Suessius disseruit dissertationis suae[3]) capite VI: „Vetula anus“. Sed mediam novamque comoediam breviter tantummodo perstrinxit laudans Athenaeum p. 440e—442a. Quod pertinet ad antiquam comoediam, satis habeo nominasse fabulas Aristophaneas Lysistratam, Thesmophoriazusas (cf. supra cap. II § 3), Ecclesiazusas et Pherecrateam Coriannum (cf. supra cap. II § 3). Fragmentorum μέσης et νέας poetarum huc spectant haec: Antiphanis fr. 24, 45, 56, 146, 163, 165; Eubuli fr. 43, 80/82, 127; Epicratis fr. 2/3; Alexidis fr. 167, 223; Axionici fr. 1, 5; Dionysii fr. 5; Xenarchi fr. 5; Philemonis fr. 84; Diphili fr. 12.

---

[1]) Athen. VI p. 262d: δῆλός ἐστιν ὁ Ἐπικράτης τὰ τοῦ Ἀντιφάνους μετενεγκών.

[2]) Locos, quibus mulieres in scaena potant, iam supra attuli.

[3]) De personarum antiquae comoediae Atticae usu atque origine Diss. Gissens. Bonn 1905 p. 121 ss.

Quid in antiqua comoedia res obscaenae valuerint, apparet; quod demonstrare est γλαῦκ' Ἀθήναζ' εἰσάγειν. Locos quosdam iam supra attuli. In Thesmophoriazusarum v. 253 s. eadem fere iam invenis, quae offendunt in Menaechmorum v. 164 ss.

τὸν κροκωτὸν πρῶτον ἐνδύου λαβών.
— νὴ τὴν Ἀφροδίτην, ἡδύ γ' ὄζει ποσθίου,

et quae in Equitum v. 400 de Cratino comico dicuntur, Curculio de se nomen suum fictum Summanum explanans confitetur (cf. v. 415 s.). Nec aliter Menander in Perinthia, cum servum ἀποτιλῶντα faceret, artificio usitatissimo iam apud ἀρχαίας poetas usus est cf. exempli causa Dionysum ἐγκεχοδότα (Ran. 479 ss.). E fragmentis μέσης et νέας poetarum hanc anthologiam excerpsi.

Eubuli fr. 53 (p. 181 Κέρκωπες) quo Hercules loqui videtur:

μετὰ ταῦτα Θήβας ἦλθον, οὗ τὴν νύχθ' ὅλην
τὴν θ' ἡμέραν δειπνοῦσι καὶ κοπρῶν' ἔχει
ἐπὶ ταῖς θύραις ἕκαστος, οὗ πλήρει βροτῷ
οὐκ ἔστι μεῖζον ἀγαθόν. ὡς χεζητιῶν
μακρὰν βαδίζων, πολλὰ δὲ στένων ἀνὴρ
δάκνων τὰ χείλη, παγγέλοιός ἐστ' ἰδεῖν.

Epicratis fr. 11 p. 287, quo narratur Platonem et discipulos quaestionem habuisse de cucurbitae natura aliumque aliud proposuisse:

ταῦτα δ' ἀκούων ἰατρός τις
Σικελᾶς ἀπὸ γᾶς κατέπαρδ' αὐτῶν
ὡς ληρούντων.

omnes indignatos esse, Platonem solum sedate tulisse irrisorem. Diodori fr. 2 v. 35 ss. iam supra exscripsi. Diphili fr. 72 (p. 565 Σύντροφοι):

ἀγαθὸς βαφεὺς ἔνεστιν ἐν τῷ παιδίῳ
ταυτὶ γὰρ ἡμῖν δευσοποιὰ παντελῶς
τὰ σπάργαν' ἀποδέδειχεν.

Sosipatri fragmentum (III p. 314 ss.), quo coquus v. 10 ss. gloriatur: tres soli antiquam doctrinam colunt:

Βοιδίων καὶ Χαριάδης
ἐγώ τε· τοῖς λοιποῖς δὲ προσπέρδου

Similia sunt coqui verba in Damoxeni fr. 2 (III p. 349) cf. v. 39.

Ceterum ne Euripides quidem tales cavillationes sprevit, qui Cyclopis v. 327 ss. haec scripsit:

ἐπεκπιὼν γάλακτος ἀμφορέα, πέπλον
χρούω, Διὸς βρονταῖσιν εἰς ἔριν κτυπῶν.

Artificium ad aram confugientium adhibuit Aristophanes in Thesmophoriazusis (cf. v. 689 ss.; supra cap. II § 4); etiam hac in fabula Mnesilochum igne de ara depulsurae sunt mulieres. Lysistrata in fabula senes (cf. v. 254 ss.) mulieres, quae arcem occupaverunt, igne petere sibi proposuerunt. Antiphanes saltem tangit artificium, de quo quaerimus, fr. 255 p. 120:

τὸ γῆρας ὥσπερ βωμός ἐστι τῶν κακῶν.
πάντ' ἐστ' ἰδεῖν εἰς τοῦτο καταπεφευγότα.

§ 2c.

Ergo iterum efficitur, a Plauto ultra Menandrum iuvenem, Diphilum aliosque et ultra μέσης poetas procedendum esse usque ad antiquam comoediam. Ut artificio conviviorum in scaena actorum (cf. cap. II), ita his artificiis et ἀρχαίας et μέσης et νέας poetae quidam semper usi sunt aliisque, de quibus infra quaerendum est. Menander quidem senior ea suis e comoediis quasi exclusit. Itaque etiam ad nostram quaestionem diiudicandam plurimum valet definire tempus illud, quo Menander stili metamorphosin illam absolverit. Praeterea adhuc alias praeter Perinthiam Andriamque Menandri fabulas praetermisimus; de quibus hac parte disserendum est.

Heautontimorumeni v. 795 s. artificium ad aram confugientium repudiatur (cf. § 2a huius capitis). „Poeta exprimit, se artificium ab aliis saepius usitatum quamquam bene nosse tamen ut nimis detritum adhibere nolle", Schmidtius annotavit p. 95 et conclusit Menandri temporibus (accuratius per Menandrum ipsum) id obsolevisse. In Perinthia Menander hoc artificio usus est; in Perinthia retractata, Andria, scaenas illas delevit! Ergo hic ordo constituendus est: Perinthia — Heautontimorumenus — Andria; et, cum statuerimus, quo tempore conscripta esset Graece Heautontimorumenos, tamquam ansam habemus ad tempus illud definiendum, quo Menander ad novum illum stilum progressus sit. Heautontimorumeno in Terentiana multa criticos offenderunt, quae alius aliter explanabat. Denique contenderunt quidam, eam esse conscriptam a Menandro iuvene, quod evinceretur e v. 117:

in Asiam ad regem militatum abiit Chremes,

qui nisi ad Alexandrum Magnum non referri posset. Primus Bethius[1]) hoc sibi persuasit; ponit vir doctus eam a. 324 conditam sed tribus demum annis post in scaena actam esse. Hoc intervallum Bethius ideo admisit, quia Menandrum a. 322/1 primam fabulam docuisse constabat inter omnes. Recipiebant enim in textum commentatiunculae Περὶ κωμῳδίας § 17 p. 9 v. 71 K. Clintonis coniecturam, qui pro tradita lectione: ἐδίδαξε δὲ πρῶτον ἔφηβος ὢν ἐπὶ Διοκλέους ἄρχοντος, cum nomen archontis corruptum esse appareret, scribendum esse coniecit: ἐπὶ Φιλοκλέους ἄρχοντος (Olymp. 114, 3). Alii[2]) Bethium secuti sunt velut Legrandius[3]), qui ipse locum illum apud Anonymum π. κ. ita emendavit, ut nomen archontis a. 325/4 Αντικλέους substitueret. Sed utut res se habet, A. Wilhelm[4]) contra Bethium recte monuit inscriptionibus in Atticis diadochos saepius nomine non addito simpliciter reges dici nec esse, cur v. 117 ad Alexandrum Magnum spectaret. Postea Koehlerus dissertatione sua[5]) compositionem fabulae exposuit et luculenter evicit, ea, quae critici reprehendissent in fabulae compositione moribusque personarum, et ea, quae his ex discrepantiis, quas existimarent, conclusissent, inania esse atque futtilia neque quicquam in ea „iuvenis imperiti artem" sapere sed omnia redolere perfectissimum artificem. Probanda igitur sunt ea, quae C. A. Dietze[6]) de Graecae fabulae tempore posuit, eam esse conscriptam inter annos 306 (cf. ad regem!) et 301 (ante pugnam Ipsiacam), post quem „adulescens Atheniensis apud regem in Asia stipendia non merebat, cum Athenienses Cassandro faverent." Ergo inter annos 306/2 (pugna Ipsiaca vere a. 301 facta est) Menander in stilo tantum profecerat, ut artificium ad aram confugientium, quod iuvenis in Perinthia adhibuit, sua arte indignum esse persuasum haberet. Quod significavit versibus illis: (975 s.):

ne te admisce: nemo accusat, Syre, te: nec tu aram tibi
nec precatorem pararis.

Contra in Andria scaenas illas, quibus aram et servum supplicem introduxerat in Perinthia, sine ulla, ut ita dicam, annotatione

[1]) Herm. 36 (1902) p. 278 ss.
[2]) cf. Christ.-Schmid. II, 1⁵ p. 30 adn. 8.
[3]) Rev. des Etud. Gr. XVI (1903) p. 357 adn. 3.
[4]) „Urk. dram. Auff. in Athen" 1906 p. 130 ss.
[5]) De Heautont. Terent. compositione, Diss. Lips. 1908.
[6]) De Philemone comico, Diss. Gottingens. 1901 p. 13 adn. 2.

secrevit. Ex quo efficitur Andriam post annos 306/2 conscriptam et in postremis Menandri fabulis habendam esse. Hac in stili mutatione neglegendum non est, Menandrum non eum esse, quem nos „Genie“ vocamus. Minime comparandus est cum statuarum artifice, qui marmoreas moles quam validissimis festucae ictibus formans effingit ingentes formas, sed potius cum caelatore, qui vasculis aliorum in officina fabricatis toreutica arte venustatem et pulchritudinem singularis operis reddit. Qua in opera magis magisque stilum expolivit et excoluit, dum certa manu lineas ducit, quibus simplicibus et incomptis contemplantium animi miro modo moventur. In hoc nonnunquam etiam posterioribus in operibus ornamenta quaedam contorta ei intervenisse consentaneum est; qua de causa Plutarchi illam partitionem: τὰ πρῶτα (sc. δράματα), τὰ μέσα, τὰ τελευταῖα non incommodam iudicemus. Opinionem igitur artis summam, quam habet Menander, non quadrare patet nisi in τὰ τελευταῖα et fortasse in posteriora τῶν μέσων, cum altera pars earum et τὰ πρῶτα non distulerint a ceterorum poetarum aequalium fabulis. Ceterum etiam perfectiores τῶν τελευταίων excogitari posse fabulas Plutarchus ipse quamvis laudator Menandri non negat. Quas an conscripserint sectatores Menandri, velut Apollodorus, incertum est[1]).

Jam satis de his! Restat enim, ut explicemus, quomodo Menander ceteris in fabulis artificia illa scurrilia adhibuerit, de quibus hoc capite quaesivimus. Qua in quaestione iam offendimus in eo, quod in Adelphorum Terentianae Graeco exemplari convivii descriptio exstabat, quam Terentius „reliquit integram“. Athenaeus enim X, 431 b hoc fragmentum tradit:

Μένανδρος 'Αδελφοῖς

ὀκτώ τις ὑποχεῖν ἀνεβόα καὶ δώδεκα
κυάθους, ἕως κατέσεισε φιλοτιμούμενος,

ad quod (fr. 8 p. 5) K. annotat: Grauertus ad Demeae narrationem de rapta psaltria referebat etc. Ex narratione de rapta psaltria hoc fragmentum exscriptum esse consentaneum est, praesertim

[1]) Sed cf. Hecyram Terentianam, quae ad Apollodorum redit; quae fabula est quasi *διασκευή* Menandreae Epitrepontum cf. Stavenhagen. Herm. 45 (1910) p. 564 ss. Quod Apollodorus argumentum Menandreum retractavit, ex eo efficitur, ei persuasum fuisse, se in quibusdam ultra Menandrum processisse. Et concedendum est, fabulae *πρόβλημα* („Problem“) subtilius explicari apud eum et fabulam simpliciorem factam et iam esse eam, quam nos „Bürgerliches Schauspiel“ appellamus.

cum Aeschinus lenonis domum expugnaverit post cenam, cuius turbae his versibus enarrantur. Hoc in convivio consilium psaltriae lenoni eripiendae captum esse verisimillimum esse iam supra (III § 2a) commemoravimus. Sed Demea hoc convivium, cui non interfuerit, describere non potest; itaque apparet vel Syrum vel Aeschinum ipsum loqui, qui et cenam et raptum puellae describebat. Cum Terentius suam in fabulam e Diphilea Synapothnescontibus locum quendam sibi sumpserit (v. 155—196/7?; ad v. 199. Donatus iam versum Menandreum adnotat), evidentissima est coniectura, qua contendunt[1]) hac scaena Diphilea versus quosdam loco suo motos esse. Quorum in contextu fr. 8 legebatur. Adelphorum principium Menandreae hoc fere erat: sc. I, 1; I, 2 ita, ut apud Terentium; deinde Aeschinus cum puella et servis in scaenam prodibat domum rediens; Syrus — hunc loqui verisimilius est quam Aeschinum — describebat convivium (cf. fr. 8) et raptum puellae quasi prologi officio functus. Sc. I, 1 anxius depingitur Micio, ut spectatorum exspectatio commoveatur de eis, quae facta sint; sc. I, 2 iam certiores fiunt Demeae verbis; tum demum singula explanantur. Initium fabulae similiter compositum est ac Cistellariae Plautinae principium (cf. Periceiromenam, Heroa, Militem Gloriosum). Menander igitur prologi narrationem, quae per se molestior est, descriptione conviviali inserta hilariorem reddiderat. Qua de causa Terentius hanc scaenam neglexerit, utrum spectatorum gratia tantummodo lenonem mulcari fecerit, an potius rationem illam, quam inter Perinthiae et Andriae Menandrearum stilum apparere non nesciebat, respiciens eam deleverit, incertum est[2]). Sed etiam Heautontimorumeni Graecae fragmentum exstat cenae descriptionis, cui apud Terentium respondentes versus non invenis. Fr. 146 p. 43 enim hoc legis:

μετ' ἄριστον γὰρ ὡς ἀμυγδαλὰς ἐγὼ
παρέθηκα καὶ τῶν ῥοιδίων ἐτρώγομεν.

Versus 1 metrum perturbatum esse patet; itaque Bentleyus ἐγὼ post ἀμυγδαλὰς delevit et Dindorfius vocabulum ἄριστον pro

[1]) cf. Regel. „Terenz im Verhältnis zu seinen griechischen Originalen.“ Wetzlar. Progr. 1884 p. 6. cf. Walther. p. 56.

[2]) Soliloquium Graeci exemplaris Terentius praeter hunc locum bis *διαλογικῶς* expressit cf. Andr. sc. I, 1; Eun. sc. III, 5; semel (cf. Hec. sc. V, 3) soliloquium substituit pro scaenis in scaena actis. Ex hoc igitur de Terentii consiliis nihil colligi potest.

corrupto habuit. Prandium in Terentiana quidem fabula non commemoratur; quam ob rem verisimilius est ἄριστον corruptum esse et fragmentum aliquo modo cohaerere cum Chremetis narratione v. 455 ss.[1]). Terentium eam coartavisse vel e verbis illis elucet (v. 457): nam ut alia omittam etc., quibus Terentius quasi indicat, se quaedam delevisse. Haec convivii descriptio, quam copiosiorem fuisse manifestum est, residuum est illarum descriptionum, quas media comoedia imprimis adamabat; contra in Andria ne vestigium quidem reperis illius, quae in Perinthia inserta erat. Ex quo iterum efficitur Andriam unam esse e postremis Menandri fabulis. Quod Terentius etiam hac in fabula descriptionem illam convivii verbum e verbo non expressit sed in pauca verba contraxit, ego quidem mihi persuasi eum τῶν μέσων stilum accommodare sibi proposuisse ad eum, quo τὰ τελευταῖα conscripta erant.

Ceterarum fabularum haec fragmenta afferenda sunt, quae ad cenarum descriptiones spectant:
fabulae Theophorumenae fr. 226 p. 65:

μέσως μεθύων τὴν Θηρίκλειον ἔσπασεν,

fabulae Menagyrtae fr. 324 p. 93:

προπίνων Θηρικλείαν τρικότυλον,

fabulae Philadelphorum fr. 503 p. 415, „ubi magnifica cena describitur Persicis instructa apparatibus, quos horum temporum Athenienses minime oderunt“[2]), fabulae Chalceiae fr. 510 p. 146:

τοῦτο δὲ τὸ νῦν ἔθος,
„ἄκρατον“ ἐβόων „τὴν μεγάλην“. ψυκτῆρά τις
προὔπινεν αὐτοῖς ἀθλίους ἀπολλύων.

cf. Alexidis fr. 9 II p. 299:

τὸ μὲν γὰρ ἕτερον λουτρόν ἐστιν, οὐ πότος
ψυκτῆρι πίνειν καὶ κάδοις.

Fr. 607 notare satis mihi est.

Ebrius loquitur fr. 67 (p. 23 Ἀρρήφορος ἢ Αὐλητίς):

πάντας μεθύσους τοὺς ἐμπόρους
ποιεῖ τὸ Βυζάντιον. ὅλην ἐπίνομεν
τὴν νύκτα διὰ σὲ καὶ σφόδρ' ἄκρατόν μοι δοκῶ.
ἀνίσταμαι γὰρ τέτταρας κεφαλὰς ἔχων.

Vinosam mulierem habes fr. 229 p. 66 fabulae Thessalae, quae

---

[1]) cf. Koehler. p. 31 ss.
[2]) Fraenkel. p. 31.

complectebatur „ambages feminarum detrahentium lunam“ (cf. Plin. N.H. 30, 7):

καὶ τὸ κεράμιον
ἀνέῳχας. ὄζεις, ἱερόσυλ', οἴνου πολύ.

et fr. 521 fabulae Pseudheraclis p. 150:

ὑπὲρ μὲν οἴνου μηδὲ γρῦ, τίτθη, λέγε.
ἂν τἄλλα δ' ᾖς ἄμεμπτος, ἕκτην ἐπὶ δέκα
Βοηδρομιῶνος ἐνδελεχῶς ἄξεις ἀεί.

et v. 87 fabulae Samiae:

τὴν δὲ γραῦν φυλάττετε
ἀπὸ τῶν κεραμίων.

Summa igitur huius partis est Menandrum etiam in aliis quibusdam fabulis praeter Perinthiam artificiis illis usum esse, quae postea perfecta sua arte indigna existimavit. Quod minime mirum est; sed notes velim ea ne ἐν τοῖς μέσοις quidem non reperiri.

Caput IV.

Altero tertioque capite evicimus Plauti magis scurrilem Terentiano stilum haud dissimilem esse — quod quidem ex artificiis quibusdam concludi potest — Menandri iuvenis stilo i. e. tralaticio, quo utebantur οἱ πολλοί. Praeterea occasione oblata effecimus Andriam Menandream maturae artis opusculum esse, conscriptam compluribus annis post Heautontimorumenum fabulam (306/2 doctam). Andriam Menandream primam sibi sumpsit Terentius Latine vertendam! Quod gravissimum est, etsi Terentius quaedam alio e fonte addidit; nam quod „quae convenere in Andriam ex Perinthia“ transtulit, hoc spectatoribus concessit ita, ut paulo post in Eunuchum scurrilia quaedam e Colace (non multo post a. 316 acta) petita spectatorum gratia inseruit. Sed etiam trium illarum fabularum, quas in primis Plauti habendas esse apparet, Cistellariam, Militem Gloriosum, Stichum dico, duae ad Menandrum redeunt, Cistellaria et Stichus[1]). Itaque, cum nihil evidentius sit ad quaestionem nostram recte solvendam quam demonstravisse alteram ad Menandrum iuvenem redire i. e. Plautum in Menandri iuvenis stilum suum quasi formavisse, eruere non ab re est, quo tempore Graece conscriptae sint fabulae. Cistellaria quidem misere mutilata temporum

---

[1]) Stichus = *Ἀδελφοὶ β.*; Cistellaria = *Συναριστῶσαι* (?).

iniquitate ad nostra saecula pervenit, ut certum iudicium fieri non possit et hoc solum constet eam sobriore, ut ita dicam, stilo conditam esse videri. Sed exstat Stichus, qualem Plautus reliquit, a. 200 primum in scaena actam. Cuius ad compositionem nunc accingamur tractandam; diiudicandum enim est, sitne fabula contaminata, ut critici quidam contendunt, necne, priusquam Graeci exemplaris tempus definire possimus. Itaque prima huius capitis parte mihi propositum est ea examinare, quae Leo (cf. supra cap. I) posuit, qui eam tribus ex exemplaribus contaminatam esse sibi persuasit. Et spero me argumenta viri summi refutaturum esse, quamquam plerisque virorum doctorum sententiam suam probavit.

§ 1.

Argumentum fabulae levissimum est: duae sorores maritis absentibus, qui angustiis rei familiaris oppressi peregre profecti sunt, a patre vexantur, ut repudium remittant maritis. Sed ei divitiis onusti domum redeunt et omnes laetitia elati sunt. Scurrae, servus currens et parasitus, qui ab omnibus irridetur, spectatores delectant et exit fabula in potationem saltationemque servorum. Disponitur fabula eo, quod scaena ter vacua fit, post v. 401, post v. 504, post v. 640, quattuor in partes: 1) 1—401 2) 402—504 3) 505—640 4) 641—775. Leo alteram et tertiam partem contraxit constituitque tres actus: I = 1—401, II = 402—640, III = 641—775. Hos dico actus, cum actuum mentionem facio. Unumquemque vero eorum Leo ad aliud exemplum Graecum revocat. Menandream fabulam Plautum sc. I, 1; I, 2 tantummodo secutum esse; tertiae scaenae nihil iam esse cum Menandro; quod de ultimis duobus dubium habet; si Plautus parasiti partes in eas ipse inseruerit, Pinacii quoque nuntium Menandream ad fabulam redire; sin autem iam in Graeco exemplari in scaena versati sint una Gelasimus et Pinacium, ut actum II et III ita etiam has scaenas alienas esse a Menandri Adelphis. Primo dicam de tertio actu, de quo iam supra (cap. II, § 1) disserui. Menandreae origini eius Leo opponit et laxam cum ceteris fabulae partibus coniunctionem et stilum scurrilem, qui discrepet a Menandreo, qualis appareat e fragmentis servatis et Terentianis e fabulis. Alterum argumentum interim praetermitto et explanabo tantum, quomodo tertius actus cum altero cohaereat.

Praeparantur spectatorum animi ad tertii actus potationem iam v. 419 ss. V. 402 Epignomus reversus in scaenam prodit, gratias agit dis benevolentibus felicem ob reditum, enarrat, se cum socero animum reconciliavisse fratremque quoque iam rediturum esse, se eum socerumque ad cenam vocavisse; finit his verbis oratiunculam:

age abduc hasce intro quas mecum adduxi, Stiche.

Stichus, quem Epignomus allocutus est, nunc propius accedit rogatque, ut erus hunc reditus diem liberum sibi dedat, praesertim cum peregre tantas miserias ceperit. Epignomus hoc ei concedit: et ius et aequom postulas etc., et ultro cado vini eum donat, quo diem laetum agat. Deinde, postquam Stichus enarravit se iam cum Sangarino in itinere constituisse, ut una cum communi amica reditum celebrarent, iterat Epignomus:

age abduce hasce intro . hunc tibi dedo diem.

Et Stichus consiliis suis spectatoribus explanatis domum intrat. Epignomus in scaena manet cf. scaenam insequentem: Gelasimus, Epignomus.

Leo in eo haesit, quod colloquium cum Sticho habitum eisdem verbis Epignomus intercideret, quae antecessissent, et quod ne post colloquium illud quidem domum abiret, quamquam verbis illis: „age abduc hasce intro“ declaravisset, se iam introiturum esse. Itaque coniecit exemplo in Attico alterius actus parasitum in scaenam prodeuntem eum retinuisse, ne statim domum intraret, et versum 453 in eo excepisse v. 418. Sed Leonem miro modo quaedam fugerunt. Soliloquium enim, quod Stichus habet v. 436—452, per quod Epignomus in scaena manens Leoni offensioni est, Graeca in fabula perparvum erat; nam v. 436—440 tantummodo ad exemplar Graecum redeunt. V. 441—445, qui solo in Ambrosiano exstant, Leo ipse retractatori tribuit (N.G.G. p. 378/9) neque v. 446 ss. a Plauto ipso additos esse negari potest:

atque id ne vos miremini, homines servolos
potare, amare atque ad cenam condicere:
licet haec Athenis nobis etc.

quod additamentum omnes versus 446—443 comprehendit[1]), cum Plauti esse appareat etiam confirmationem illam: potius quam

[1]) Plautus hac adnotatione discrepantiam quandam admisit; potatio enim tertii actus ante domum in via habetur (cf. Teuffell.-Kroll. I p. 26 A. 2). Langen. Pl. St. 1886 p. 218 hanc repugnantiam notat.

invidiam inveniam. Ceterum etiam v. 427/9 Plauto abiudicandi sunt (Leo!). Epignomum, ut revertit tribus post annis, quam celerrime domum intrare non in animo habuisse contra naturam est[1]), sed poeta eum loquentem fecit: „age abduc has intro quas mecum adduxi, Stiche" neque „sequimini". Quod Stichum hoc facere iubet, cogitare videtur de fidicinis, tibicinis, sambucis iterum recensendis, priusquam ipse eas praegressas sequens domum intret; Sticho enim eae quasi pompa praeter eum prope ad ianuam adstantem praeterducendae sunt. Porro Stichi, eri alloquio introducti, preces aptas esse servo reverso apparet (cf. et ius et aequom postulas); quod Epignomus eis non repudiatis iterat: „age abduce hasce intro" et addit: „hunc tibi dedo diem", imperium et concessionem coniungens, poeta minime reprehendendus est, cum Stichus mandata non exsecutus sit sed precibus erum adierit. Sticho quaedam locuto ancillisque abductis Epignomus ipse abiturus est, cum Gelasimum ingredi videt; qui plurimis verbis eum salutat et rursum ab introitu moratur, dum Epignomus v. 482 eum valere iubet et, cum parasitus non abscedat, eum relinquens his verbis (v. 496) domum intrat:

cras de reliquiis nos volo . multum vale.

Quae cum ita sint, a me impetrare non possum, ut Leoni assentiar has scaenas actus II non a poeta Graeco conscriptas sed a Plauto conglutinatas esse contendenti! Sed etiam aliis ex argumentis effici potest, actum III et actum II separari non posse. Epignomus felicem ob reditum socero et fratri et uxori eius se cenam daturum esse pollicitus est. Quae cena in actu II, ut in 240 versibus, saepissime commemoratur neque solum in scaenis illis, quibus parasitus in scaena versatur, sed etiam praeter v. 415 versibus 510—516, 532, 569, 576. Cena ipsa „intus" habetur; sed cum dominus et domina cum affinibus „intus" cenent, Stichus cum amico et amica in scaena morem sibi gerit; itaque apparet potationem servorum subditam esse pro cena dominorum, quae hoc modo quasi speculo concavo, quo omnia distrahuntur et deformantur iocularem in modum, spectatorum oculis proponitur. Ceterum etiam v. 674—682 actus III spectatorum animi a cena ad potationem servorum traducuntur. Praeterea actus II et

[1]) Sed cf. Trinummi sc. IV, 1—3. Krollius benigne me commonuit de principio libri illius, quem conscripsit noster G. Keller „Martin Salander".

actus III eo inter se devinciuntur, quod praeter v. 677/8 (cf. etiam v. 703 s.) versibus 663 ss.:

nam apud nos est convivium:
ibi voster cenat cum uxore adeo et Antipho:
ibidem erus est noster.

cena tangitur et v. 676 ss. versibus 534 ss. mire respondent. V. 676 ss. Stephanium excusat, cur domo vicina egrediatur:

domo dudum huc arcessita sum. *quoniam* nuntiatumst
ipsarum venturos viros, ibi festinamus omnis:
lectis sternendis studuimus munditiisque apparandis.

Quibus cum verbis consentiunt ea, quae Epignomus fratri dicit, cum domum suam introire vult uxoris salutandae causa v. 534 ss.:

apud nos ecillam festinat cum sorore uxor tua.

Ergo actum III una cum actu II ab uno eodemque poeta procreatum esse concedendum est et optima fide affirmamus a. v. 402 i. e. in altera fabulae parte omnia bene inte se cohaerere.

Sed restat primus actus! Quem si separatim a ceteris consideramus, inter primam alteramque et ceteras scaenas iunctura quaedam animadverti posse videtur. V. 150 ss. enim Panegyris parasitum arcessi iubet:

ebo, Crocotium, i, parasitum Gelasimum huc arcessito:
tecum adduce . nam illum ecastor mittere ad portum volo
siquae forte ex Asia navis heri aut hodie venerit.

Quod imperium supervacaneum est, cf. servum currentem quartae scaenae, qui eri adventum nuntiat! Neque tamen ipsa hoc nescit:

nam dies totos apud portum servus unus adsidet;
sed tamen volo intervisi.

Sed accedit, quod parasitum post discessum mariti hodie primum arcessi iubet (cf. v. 266 ss.); et etsi Crocotium non misisset, omnia tamen aeque ac fiunt evenirent, cum parasitus sic quoque etiam post v. 154 in scaenam prodeat. Itaque primo videamus, quomodo altera huius actus pars, in qua nihil inesse offensionis negari non potest, cum actu II/III conexa sit. Extrinsecus eo, quod Gelasimus verbis illis, quae pronuntians in actu II in scaenam prodit, se revocat ad ea, quae abiens in fine actus I fecit:

454 ss.: libros inspexi: tam confido quam potis
me meum optenturum regem ridiculis logis etc.
400: ibo intro ad libros et discam de dictis melioribus.

Ceterum eadem ratio intercedit inter v. 579 ss. et v. 503 s. Leo

quidem, quem alii secuti sunt[1]), in v. 454 ss. haeret, cum Gelasimus post eos v. 459 ss. denuo verba quaedam faciat, quae sint prodeuntis primum in scaenam, et laudat Mercatoris Plautinae v. 225 s. Sed opponendi sunt Rudentis v. 593 ss.! Hic igitur scrupulus nihil valet! Gelasimus pronuntiat se iam futura praemeditatum et regem exspectaturum esse, dum domum redeat; se sperare, cum omen matutinum optimum fuerit, Fortunam sibi fauturam esse. Haec omnia uno spiritu atque tenore dici posse patet. His igitur e versibus argumentum elicere, quo probetur scaenas parasiticas actus II artius non concinere cum actu I, vitiosum est. Neque in eo offendendum est, quod parasiti versuum 388 ss. adventicii actu II non iam commemorantur. Nuntio allato, Epignomum redisse et summas divitias secum apportavisse, Gelasimus laetitia exsultat et effertur summam ob felicitatem. Sed iam Pinacium, ut est malitiosus, addit v. 388 s.:

post autem advexit parasitos secum . . . ridiculosissimos.

Gelasimus non intellegit se irrideri et valde consternatus est; quam celerrime omnia reverrit, quae modo conversa sunt — v. 351 Pinacium ei scopas obtrusit cf. v. 354, 375 — et tristis ministerio suo repudiato abit. Parasitorum adventiciorum commemoratione poeta id unum secutus est, ut Gelasimum abeuntem facere posset; quod postea eos neglexit, postquam satis ioculariter eis usus est, per se non mirum est; Leo quidem eius modi rationem Menandro indignam esse existimat. Sed de hoc infra!

Tribus illis postremis actus I scaenis et parasitus misellus, ut est aerumnosus et calamitosus, depingitur, quo humilitas eius, qua est in actu II, excusatur, et adventus eorum, qui actu II domum revertuntur, annuntiatur ita, ut alterum fratrem paulo post adventurum esse affirmetur, quod ad actus II actionem plurimum valet[2]). Ergo non est, cur eas ab actu II/III segregemus! Terminus igitur ille, ad quem omnia bene se habent in fabula, iam propius ad principium fabulae post v. 154 transponendus est. Itaque tota quaestio, sitne contaminata necne fabula, pendet

[1]) Velut Fraenkelius p. 105, qui v. 454 ss. Plauto ipsi vindicat, qui cohaereant cum auctione tertiae scaenae actus I, quae ad Plautum redeat. Sed monendum est formam solum horum versuum Plautinam esse; Graeco in exemplari Gelasimus se ipsum vendidit.

[2]) Leo vituperat, quod alterius fratris commoratio argumentis non probetur. Sed cf. v. 416: mea solutast navis aliquanto prius.

a sc. I, 1; I, 2, quibus solis Plautum Menandream fabulam mere expressisse Leo asseverat. „Die Exposition entwickelt breit und liebevoll die Charaktere der Schwestern in ihrem Verhältnis gegeneinander, im Verkehr mit dem Vater, die Art des Alten selbst, die ganze Situation, die auf die Rückkehr der Männer zugespitzt ist. Die Männer kehren zurück, die Frauen sind verschwunden, der Konflikt zwischen Schwiegervater und Schwiegersöhnen ist gelöst, ehe diese auftreten; es bleibt bei der Vorbereitung einer Handlung etc.“, Leonis verba dedita opera exscripsi. Leo ponit: es bleibt bei der Vorbereitung einer Handlung! At si requiramus, quomodo actio Menandrea in fabula processerit, iam haeremus neque certi quicquam efficiamus. Sed coniciat quispiam, quod facile invenitur, litem illam, quam intendit pater in filias generosque, poetam plurimis verbis persecutum esse. Attamen eam non fuisse fabulae argumentum luculenter erui potest. Ut sc. I, 1; I, 2 repraesentatur senis ingenium, poetam spectatoribus iustam rixam non probaturum fuisse apparet. Post v. 57 senex maledicta et minas in servos suos pigros conferens domo exit et fortissimum et strenuum se praebet, ut videatur adversarius haud spernendus. Sed haec animi fortitudinis species, quam prae se fert, iam insequentibus filiae verbis diluitur: v. 74:

novi ego nostros: exorabilest.

Nihil igitur nisi tinnitus sunt verba eius; rabula est senex, qui haud difficulter permulcetur. V. 75 ss. explanat consilia sua; dubitat, quid faciat; sed v. 80 ss. haec addit, e quibus infirmus et mollis animus eius cognoscitur:

si manere hic sese malint potius, quam alio nubere,
non faciam: quid mi opust decurso aetatis spatio cum meis
gerere bellum, quom nil quam ob rem id faciam meruisse
arbitror.
minume: nolo turbas.

Itaque, cum senex nolit turbas, pugna levis est, quam committit cum filiis. Consalutato eo, ut sunt callidae et astutae, blanditiis ei officiosae blandiuntur, quas nolens volens murmurans perpetitur. Jam episodium inseritur: quaestiones et responsiones. Quibus absolutis acie hostili quasi perturbata impetus ipse fit, qui excipitur a filiis et leviter propulsatur. Hoc futurum esse senex ipse non nesciebat! Deinde ad convicia refugit, mendicos esse filiarum viros et latrones; sed ea quoque vitantur. Denique ad forum abit:

ibo atque amicis vostra consilia eloquar.

Amicis enim auctoribus non sua sponte filias adducebat, ut novom matrimonium inirent.

Ergo ἐνεργητικός, ut ita dicam, non est senex; filiae, praecipue maior natu, hac virtute longe ei praestant. Et, etsi materia rixarum excitandarum adsit, tamen senex non is est, qui pervincat aliosque cogat sibi obsequi. Quotiens filiarum animum flectere conabitur similiter naufragium quasi faciet. Generis vero eum imparem esse, cum ne filias quidem suam ad sententiam perducere possit, quis est, qui neget?

Demonstravimus adhuc Stichum fabulam duabus e partibus constare, quarum neutra discrepantiis vel repugnantiis foedatur, cum altera cum altera coagmentata esse videatur. Altera comprehendit sc. I, 1; I, 2 i. e. v. 1—154, quam praeter versus quosdam verbum e verbo ex exemplo Menandreo expressam esse Leo ipse concedit, altera ceteras huius actus scaenas actumque II/III i. e. v. 155—775. Explicandum igitur tertium est, quomodo hae partes inter se cohaereant. Quod multo difficilius perpetratu quam antea eo est, quod Leo plerosque locos, quibus altera parte ad alteram revocamur, appellavit: „nur wie angeweht." Sed felici casu factum est, ut cum eo disceptandum non esset, utrum hic vel ille locus nihil valeret necne; exstat enim certa via, qua utramque partem ad unum eundemque Graecum poetam redire efficere possimus. Antiphonis dico mores. Respondet actus I scaenae, qua Antipho et filiae in scaena versantur, in actu II quaedam, qua Antipho et generi prodeunt; altera ante reditum generorum, altera post reditum. In actu I praecipue hoc aegre fert, quod tenui victu se sustentent filiae et „mendicis" nuptae sint (cf. v. 132, 135, 137 s.). In actu II (cf. v. 518 ss.) interrogatus a genero, nonne in gratiam secum redierit, reconciliatum se esse affirmans hunc in modum philosophatur:

ut quoique homini res paratast, perinde amicis utitur:
si res firma, item firmi amici sunt: sin res laxe labat,
itidem amici conlabescunt . res amicos invenit.

Paulo ante Epignomus, quid iudicaret de gratiae inter se et socerum reconciliatione, contulit haec in verba, v. 410:

videte quaeso, quid potest pecunia.

Antipho, cuius solius mores in actu II diligentius depingi Leo ipse asseverat, cum ceterae personae sint usitatissimae („Typen"), in actu II argumentis e „philosophia morali" petitis quasi com-

probat rationem illam illiberalem, qua usus in actu I invectus est in filias. In utroque actu idem flagitium hominis! Et ut in actu I rectam viam non instat sed sibi proponit v. 85:

perplexabiliter earum hodie perpavefaciam pectora,

ex quo consequitur episodium illud quaestionum et responsionum, ita in actu II enarrat „apologum", lepidissimum embolium. Itaque etsi libenter concedo artificium fratrum redeuntium saepius adhibuisse νέας poetas, ut Plautus haud difficulter similis argumenti fabulas reperire posset, tamen mirum mihi esse videtur, quod animi lineamenta, quibus depingitur in utroque actu socer, tam bene congruunt et concordant. Denuo igitur inspiciamus iuncturam illam, de qua iam supra dixi. Nam si quis fabulam contaminatam esse demonstrare sibi proponat, nisi ex ea contaminationem fabulae probare omnino non potest. Plautus igitur, si contaminata sit fabula, v. 1—149 tantum Menandreum exemplar secutus sit et v. 155 ss. ex altero exemplo adiecerit; cum scaenam: Gelasimus, Crocotium in exemplo B. inveniret i. e. in eo parasitus arcessi iussus esset, v. 150 ss. de suo addiderit, ut alterum exemplar cum altero conflaret. Sed sc. I, 1; I, 2 poeta patris cum filiabus rixam talibus coloribus depinxit, ut, quo est ingenio pater, facere non posset quin eam neglegeret; et hae scaenae cum ceteris tam arte conexae sunt, ut dirimi non possint. Itaque alio modo explicandi sunt v. 150 ss. Panegyrim ipsam non fugit imperium suum ineptum esse; sed tamen parasitum arcessi iubet. Libido quaedam eam invadit vel potius animi sollicitudo angorque eam docent hoc ipso die nescioquid inexspectati eventurum esse. Sed, si poeta eam hoc affectu motam induxit, eo consilium quoddam secutus est. Crocotium prius, quam mandatum exsequitur, parasitum lamentantem auscultat et quasi contrarias partes agit. Hac igitur persona introducta poeta plurimum profecit. Crocotium enim, quae parasiti verba risu excipit, suo risu spectatorum cachinnos excutit. Quod sollerter callideque inventum esse concedendum est. Deinde Gelasimi partibus imperium illud maxime conducit. Defessus fameque defatigatus in scaenam prodit; de Panegyris vocatu certior factus paulum se colligit specula oblata; itaque Pinacium despicit et gravis cum dignitate Panegyrim adit v. 327 ss.: „Salve tuo arcessitu venio huc etc." Confidit se iam in tuto esse; quo magis affligitur, cum postremo. repellatur. Parasiti igitur partes hoc modo facete variantur Ergo ne in versibus 150 ss. quidem offendendum est.

Iam ad finem pervenimus! Ex compositione fabulae ipsa non colligi potest[1]), Stichum Plautinam contaminatam esse. Sed restant scrupuli, quos viris doctissimis scurrilis fabulae stilus iniecit. Sed eximuntur eis, quae supra de Menandri iuvenis stilo evicimus. Huc accedit, quod mira similitudo intercedit inter Stichum et eam fabulam, ex qua sola cogitatione effingimus, qualis fuerit μέσης fabula, Persam Plautinam. Quod utraque fabula in potationem exit, hoc minoris momenti est. Sed compositio utriusque monstruosa est; alia iuxta aliam ponitur scaena, quibus saepius nihil aliud spectatur nisi spectatores delectare; vinculum, quo omnia unam in fabulam copulantur, laxissimum est. Exempli causa Panegyris iussui, quo parasitus arcessitur, de quo supra plura dicenda erant, quo scaena: Gelasimus, Crocotium admittitur, in Persa haec invenis respondentia: post v. 167 Sophoclidisca in scaenam prodit manu tenens litteras, quas scripsit Lemniselenis ad Toxilum; post v. 182 Toxilus invicem Paegnium epistulam Lemniseleni reddere iubet; quae epistulae extra fabulae argumentum fictae sunt; sed ob eas poeta tria embolia inserere potuit: 1) Sophoclidiscae soliloquium (168—182), 2) scaenam: Toxilus, Paegnium, Sophoclidisca (183—250), 3) scaenam: Paegnium, Sagaristio (272—301), quae spurcis contumeliis turgent. Deinde utriusque propria est mira quaedam artis inconstantia, quam non alienam iudicemus temporibus, quibus poetae novas vias ingrediebantur atque muniebant. In Persa fabula virginis verba plane discrepant a ceteris; in Sticho, ut hoc exemplum afferam, scaenam elegantem lepidissimeque moratam I, 1 insequitur senis soliloquium, in quo hic exstat versus (64):

non homines habitare mecum mihi hic videntur, sed sues.

Alia addere supersedeo. Itaque Stichi scurrilis stilus facile intellegi potest ex eo, quod fabula Graece a Menandro iuvene scripta est.

Sed sunt, quae obstare videantur. Hueffnerus enim dissertatione iam saepius laudata (cf. p. 43 ss.) Menandream a. 306 doctam esse ponit. Sed haud difficulter redarguere eum possumus. Quod versum 287 ad Demetrium Poliorcetem, qui per hiemem a. 307 et ver a. 306 commoratus sit Athenis, spectare contendit

---

[1]) cf. etiam Suess. Rh. M. 65 p. 452 ss., Schwering. N. I. 1916 p. 184, Prescott. Class. phil. XI (1916) p. 136 ss.

et v. 290 ss. ad introitum eius magnificum, contradicendum est v. 287 etiam ad archonta regem referri posse neque firmissimam esse de v. 290 ss. coniecturam. Versus ambiguos esse patet. Sed certi et dilucidi sunt v. 490 ss.! Epignomus Gelasimo affirmat, se iam alios vocavisse, et ei opponenti quaedam respondet:

at ei oratores sunt populi, summi viri:
Ambracia veniunt huc legati publice.

Hueffnerus ad eos recte adnotat, verba esse absurda, nisi fieri potuit, ut Ambracia legati venire possent; ceterum Ambraciam eo ipso tempore liberam fuisse rem publicam e verbis: „oratores populi“ elucere. Quod constare exponit etiam de anno 317, cum a. 316 Epirus iam fuerit in dictione Cassandri, et ipse addit his e versibus colligi posse fabulam Menandream actam esse ante a. 317. Sed hoc tempus repudiat, quamquam ipse quoque de Menandri iuvenis opusculo cogitavit[1]). Sententiam his probat: ultra vero a. 317 procedere nemo audebit, qui Menandrum in primis fabulis mediae comoediae rationem, quod quidem pertinet ad perstringendos certos homines, minime aspernatum esse animadverterit. Haec recte se habere nemo ignorat neque tamen quicquam valent (cf. Persam fabulam). Deinde se excruciat, ut aliud tempus enucleet. Sed e v. 490 ss. apparet Stichum Plautinam, Adelphos II Menandream, conscriptam esse ante a. 317. Hoc igitur modo explicantur similitudines illae, quae Sticho fabulae cum Persa communes sunt; utraque in μέσης iocularibus ludis („possenhaften Vertretern der μέση“) habenda est. Menandri enim iuvenis stilum non distulisse a μέσης poetarum ratione consentaneum est (cf. fabulam Perinthiam). Neque aliter intelleguntur parasiti partes et servorum in fine fabulae potatio saltatioque, in quibus offenderunt ut in fabula Menandrea critici (cf. fabulam Colacem, paulo post a. 316 doctam).

Quod posteriores scaenae fabulae elegantiam atque urbanitatem iamiam amittunt, commonendum est, criticos his ipsis de causis in Heautontimorumeni compositione haesisse. Neque tamen iure! Remissio quidem in ea non tanta est, quanta in

---

[1]) cf. verba eius: atque id quidem universa eius (sc. fabulae) condicio et argumentum non ita artificiose et subtiliter excogitatum videtur commendare.

Sticho apparet, sed respicias velim[1]), Stichum fere duodecim annis ante Heautontimorumenum actam esse. Itaque ne e Bacchidum scurrili exitu per se effici potest, fabulam esse contaminatam; quaestio enim est, quo tempore Graece scripta sit.

Si Stichum cum Andria, ut fabulam sumam, quae ipsa quoque per retractatorem barbarum ad nostra saecula venit, contendis, patefit, quantum Menander ad comoediam excolendam contulerit et quid comoedia per eum profecerit. Itaque non sine aliquo iure nova comoedia appellatur Menandrea. Sed in eo neglegendum non est, non omnes νέας poetas vestigia eius pressisse eumque sectatos esse! Ceterum Stichi sc. I, 1; I, 2 non sine aliqua probabilitate dicere possumus cellulam germinalem comoediae Menandreae. Πρόβλημα iam proponitur, sed quasi suffocatur eis scaenis, quae comoediae propriae sunt. Paulo post subtiliter exponitur, quo embolia iocularia magis magisque tabescunt. Finis est Hecyra Terentiana, quae ad Apollodorum, Menandreum poetam, referenda est.

Sed ne a proposito aberremus! Terentius in arte ab Andria Menandrea profectus est (multo post a. 306/2 conscriptam); in Plauti primis fabulis exstat Stichus, qua expressit Menandream Adelphos II (ante a. 317 doctam)! Ante Stichum collocandae sunt Miles Gloriosus (ab incerto poeta inter annos 306/281 condita) et Cistellaria Menandrea. Miles satis scurrilis est fabula. Contra Cistellaria ad molliores mores facta esse videtur. Eius similem Plautus postea numquam sibi eligit vertendam, in Captivis enim parasitus scurra prodit, in Trinummo alia episodia γελοίου χάριν inseruntur. Cistellaria igitur nihil erat nisi experimentum Plauti! Cum iterum Menandream fabulam deprompsit, ad τὰ πρῶτα quasi refugit.

§ 2.

Sed etiam tertia quadam fabula Plautus Menandrum secutus est[2]), Bacchidibus, de qua supra nonnulla iam adnotavi. In ea quoque scurrilia quaedam criticis in offensionem venerunt (cf. cap. I). Iterum igitur tempus Graeci exemplaris definiendum est. Sed, cum etiam haec fabula pro contaminata habeatur,

[1]) cf. etiam Christ.-Schmidt. II, I⁶ p. 31: für die matten und unbefriedigenden Weiterführungen und Schlüsse ist vermutlich Menander selbst, auch hierin Schüler des Euripides, verantwortlich zu machen.

[2]) Menandrea est *Δὶς ἐξαπατῶν*. cf. Ritschl. opusc. II p. 292 ss.

iterum prius disceptanda est quaestio, rectene iudicaverint critici necne.

Iam multos abhinc annos critici in compositionem fabulae inquisiverunt; deinde aliquamdiu quaestio neglegebatur, dum Fraenkelius, Leonis discipulus, dissertationis suae p. 100—104 quaestionem denuo excussit et fabulam contaminatam esse affirmavit. Et sententia eius primo obtutu tam probabilis esse, videtur, ut alios velut Leonem (cf. cap. I) ad eam perduxerit. Sed primo de eis criticis dicam, qui ante Fraenkelium fabulam contaminatam iudicaverunt.

Ladewigius[1]) efficere studuit, Plautum prima fabula non expressisse fabulam Menandream; prima enim scaena exponit Bacchidem plane inconstanter se gerere nec ulla ratione uti; sed eam de militis adventu ut de re certa loqui, ut eum iam in scaenam proditurum esse spectatoribus exspectandum sit; e versibus 61 et 76 s. (et ille adveniens tuam med esse amicam suspicabitur — miles quom huc adveniat, te volo me amplexari) coniunctis cum frg. VIII initii deperditi (sicut lacte lactis similest) colligi posse actionem quandam a Menandrea Disexapatonte alienam, Militi Glorioso fabulae similem praeparari; militem enim postea Bacchidem pro sorore habuisse et ita tricis se implicavisse. Porro contaminationis vestigia in eo reperit, quod Pistoclerus sine ulla iusta causa post v. 177 in scaenam prodeat, Lydus contra veri speciem et praeter naturam, qui sit paedagogus, domi meretricis maneat. Itaque etiam scaenas illas, quibus Lydus partes agit, secernere Menandreo ex exemplari mavult, in quo Mnesilochus alio modo adductus sit, ut consilium illud inconsideratum pecuniae patri reddendae caperet.

Ladewigium secutus eandem de Lydi partibus sententiam Tartara[2]) profert, qui haec notat: Pistoclerum sc. I, 1 Lydi mentionem non facere, deinde Lydum se sequi iubere domum meretricis nescioquibus de causis, attamen eum se proripere sinere, neque quicquam muttire, cum Mnesilochus narraverit se omnia a Lydo comperisse.

Etiam Ribbeckius[3]) contendit sororum similitudinem, quam poeta proposuerit fr. VIII, Graeca in fabula causam fuisse turbarum et rixarum.

[1]) Philolog. 18 (1863) p. 261 ss.: „Plautinische Studien."

[2]) De Plauti Bacchidibus, Pisae 1885 p. 34.

[3]) Rh. M. 42 (1887) p. 116.

Denique Baarius[1]) Ladewigii sententiam de Lydi partibus sibi probari affirmat et alia quaedam addit, in quibus ipse haeserit: in sc. II, 3 Nicobulum abire, ut filium requirat; post sc. III, 4 filium domum intrare, ut patri aurum reddat; insequenti actu auro patri reddito filium in scaenam redire, quamquam spectatoribus inspectantibus pater domum non reverterit; post v. 769 autem patrem revera domo exire. Itaque Lydi partes Menandreo exemplo abiudicat, in quo prima fraus eo irrita facta sit, quod servus quidam Pistoclerum cum Bacchide cubantem viderit et eam, ut fuerint similes sorores, sororem, erilis filii amicam, putaverit, quod Mnesilochus certior factus crediderit.

Contra fabulam contaminatam esse negaverunt Goetzius[2]), Langenius[3]) aliique.

Quae Ribbeckius et Baarius de sororum similitudine in Disexapatonte coniecerunt, ea infirma sunt. Pugnat enim cum hac coniectura altera fraus. V. 885 ss. Nicobulus Bacchidem statim cognoscit Atheniensem; sed, quae sit altera mulier, ignorat; eam militis esse uxorem postea ei persuadetur. Fr. VIII, cuius de contextu certi nihil constat, Ladewigius nimium tribuit. Scrupulos, quos idem iniecit de sc. I, 1, iam Goetzius removit. Bacchis pedetemptim et gradatim Pistoclerum petit; eis, quae de milite narrat, insidias ei tendit. Domum eum illicere studet, ut et pecuniam militi debitam comparet et „novus amator“ sibi fiat. Alterum cum altero consilium confunditur; sed alterum postea neglegitur, cum Mnesilochus ipse reverterit; alterum solum maioris momenti in compositione fabulae fit; quod demonstrare supersedeo. Quod Nicobuli reditus non commemoratur, in eo ego quidem non offendo, cum post v. 525 scaena vacua sit i. e. finis actus II statuendus. Similia inveniri et in Asinaria, in qua Argyrippus actu II domi amicae est, quamquam actu I foras extrusus ad forum abiit, et in Truculento, in qua Stratulax post sc. II, 2 ad forum abiit et tamen in scaena III, 1 domo exit, Baarius ipse iam exposuit. Ceterum ne eae quidem fabulae contaminatae sunt, ut Baarius sibi persuasit[4]). Sed Menander ex Menandro confirmandus est. In Adelphis Syrus abit haec verba locutus: v. 785 ss.:

[1]) De Bacchidibus Plautina quaestiones, Diss. Kiliens. 1891 p. 46 ss., 61.
[2]) Acta soc. Lips. VI p. 315 ss.
[3]) Langen. Pl. St. 1886 p. 110 ss.
[4]) De Asinaria cf. Ahrens. de Pl. A. Diss. Jenens. 1907.

nisi, dum hae silescunt turbae, interea in angulum
aliquo abeam atque edormiscam hoc villi . sic agam.

Post v. 834 actus finitur. V. 855 ss. Demea in scaenam redit, v. 881 Syrus eum domum revocat:

heus, Demea, rogat frater ne abeas longius.

Syrus igitur inter alterum actum exeuntem et alterum ineuntem domum regressus est. Denique poetae opprobrio dare, quod „ratione non addita“ Pistoclerum domo meretricis exeuntem et Lydum domi manentem fecerit, nihil habet negotii. Quod cur fecerit, patet. Neque vero spectatores hoc senserunt, cum fabula ageretur in scaena. Et spectatorum gratia non criticorum fabula conscripta est. Sed ne levius agere tibi videar, quod Syrus domi manet, ideo quia poetae aliae scaenae prius proponendae erant, revoco te ad Phormionem Terentianam. Qua de causa Geta non, simulac comperit nuntium laetissimum, Phanium esse Chremetis filiam, erilem filium inquisivit? Cur exspectat, dum hoc facere iubetur, quamquam non ignorat, hoc scire plurimum interesse Antiphonis? Poeta famosa illa unitate loci[1]) coactus hoc admisit, cum sc. V, 2, 3, 4, 5 prius agendae essent. Itaque imperium illud finxit, ut vitium fugeret. Neque aliter Menander, ne spectatores iuncturam animadverterent, Lydi indignationem in maius extulit, quam plurimis verbis eam depingens. Spectatores rident ridiculum paedagogum itaque eos non offendebant ea, quae criticorum suspicionem, ut sunt „severis unguibus“, movent. Ceterum talia saepissime inveniuntur, et angustiae rerum scaenicarum non poetae culpandi sunt. Quae Baarius (p. 62/63) de ultima scaena commentus est, quam Plautum pro alia substituisse contendit, qua Chrysalus senes filiis conciliaverit, argutiae sunt. Neque Epidici exitu neque Pseudoli fine, quos affert, ea fulciuntur. Utraque in fabula argumento nisus poeta caput fabulae, ex quo utraque nomen cepit, in fine inducere potuit. Epidicus veram filiam repperit et Pseudolus provocat ad pactionem, quam fecerit cum ero. Sed Chrysalus nihil nisi peccata afferre potest. Chrysalus et Mnesilochus et Pistoclerus habent, cur senes, quantum fieri potest, vitent et omnia faciant, ne in congressum eorum veniant. Solae hilarem ad exitum fabulam perducere possunt meretrices. Et eae pacem conficiunt.

[1]) cf. Ae. Polczyk, De unitatibus et loci et temporis in nova comoedia observatis. Diss. Breslau 1909 p. 39 ss.

Finem ita satis iocularem factum esse non mirum est; quod non repugnat Menandreae origini. Eum quoque ad Menandrum redire effici potest ex fragmento quodam Graecae ipsius fabulae: fr. 124 p. 36:

ἐμοὶ παράστα . τὴν θύραν κόψας ἐγὼ
καλῶ τιν' αὐτῶν.

quocum congruunt v. 1117 s.:

quid dubitamus pultare atque huc evocare ambos foras.
— haud moror etc.

Quo facto Plautina in fabula Bacchides prodeunt; eas etiam in Graeca exisse ex argumento fabulae colligitur. Uterque pater permulcendus est, quod perficiunt filiorum amicae, quarum causa turbae dabantur.

Iam sententiam diximus de eis, quibus ante Fraenkelium critici distringebantur. Itaque ad ea accingamur tractanda, quae ipse posuit. Proponit enim sc. IV, 9 (alteram epistulam) in Disexapatonte non fuisse omnesque versus, qui ad eam spectent, Plauto ipsi deberi, qui eam immiserit Menandream in fabulam. Orditur a titulo Graeci exemplaris: Δὶς ἐξαπατῶν. Sed Plautina in fabula senem a servo ter decipi, primum narratiunculam de lembo ei imponi, deinde prima epistula eum emungi, tertium altera; et Chrysalum altero cantico de tribus Ilii fatis loqui, quae cum factis suis comparanda sint; Ritschelium (opusc. II, 365) narrationem de lembo exclusisse, alteram fraudem prima epistula contineri, alteram secunda; sed hanc coniecturam pugnare cum v. 692:

ut ad senem etiam alteram facias viam.

Itaque alteram epistulam secernit, praesertim cum etiam veri dissimile sit, Menandrum, elegantissimum poetam, una fabula bis usum esse eodem artificio, et v. 1090 duae tantum machinae commemorentur:

perii: pudet: hocine me aetatis ludos bis factum esse indigne.

Iterum igitur ut supra in Sticho fabula quaestio ad compositionem fabulae revocanda est. Nihil enim valent argumenta ex opinione petita, hoc vel illud indignum esse Menandro; si effici potest fabulam esse sinceram nec contaminatam, totum est Menandreum opusculum.

Chrysalus, ut pecuniam erili filio compararet, apud erum ementitus est, filium Epheso, quo pater eum miserat, ut pecuniam

hospiti creditam reposceret, nihil auri secum reportavisse (cf. sc. II, 3). Auro ipso erum non emunxit; ea quae effecit, haec in verba confert: v. 352 s. (supplendum est: erilis filius):

ita feci, ut auri quantum vellet sumeret,
quantum autem lubeat reddere, ut reddat patri.

Sed Mnesilochus, qui se proditum esse ab amica amicoque suspicabatur, omne reddidit patri. Sed falsa erat suspicio. Itaque Chrysalus denuo aditur pecuniae expediendae causa. Interrogat (cf. v. 705), „quantillum usus sit auri", et respondetur v. 706 s.:

militi nummis ducentis iam usus est de Bacchide.
. . . tum nobis opus est sumptu etc.

Mnesilocho praeter pecuniam, quae militi debetur, etiam altera opus esse in sumptum non mirum est; cum meretrice rem habere plurimo constat; velut in Adelphis dimidium minae (cf. v. 370 s.) unum in prandium distribuitur (cf. etiam Truculentum). Et Chrysalus sc. II, 3 rem ita instituerat, ut Mnesilochus, „quantum vellet", sumere posset. — Iterum Chrysalus non dubius est, quid faciat. Domi meretricis Mnesilochum et Pistoclerum cum amicis in convivio accumbere iubet et hanc dictat epistulam:

v. 734 ss.: Mnesilochus salutem dicit suo patri . . .
Chrysalus mihi usque quaque loquitur nec recte, pater,
quia tibi aurum reddidi et quia non te fraudaverim.
v. 739 ss.: . . . nunc pater mi, proin tu ab eo ut caveas tibi,
sycophantias componit, aurum ut abs ted auferat. etc.
744: sed, pater, vide ne tibi hodie verba det: quaeso cave. etc.

Hanc epistulam sc. IV, 6 seni reddit. Qui eum statim vinciri iubet et iam invecturus est in eum, cum Chrysalus ei domi meretricis potantes ostendit et felici casu miles, sororis amator, advenit immanes minas iactans. Itaque Chrysalus asseverat, mulierem, quacum Mnesilochus accubet, uxorem esse militis, et efficit, ut erus militi de pecunia illa se satisfacturum esse polliceatur, cum sororem putet uxorem militis. Sed scrupulus quidam residet ei — quod mirum non est, cum expertus sit Chrysali calliditatem et epistulam illam, quam filius ei scripsit, modo legerit et etiam per scaenas IV, 7, 8 manu teneat —; pecuniam militi non dabit (cf. v. 920 ss.) nisi filius ipse affirmaverit, omnia ita se habere, ut Chrysalus contenderit:

quos (sc. 200 nummos) non dabo
temere etiam prius quam filium convenero.
numquam edepol quicquam temere credam Chrysalo.

His dictis iterum epistulam perlegit, qua sane suspicio augetur, et finit:

aequomst tabellis consignatis credere.

Ad finem igitur doli machinatores non venerunt! Senex exspectabit, dum filius ipse Chrysali verba confirmans „confessus" sit omnia. Quae confessio inest in altera epistula. Sed ea filius non modo fatetur se cum militis uxore cubuisse, sed etiam pollicitum esse ei, si sibi morigeretur, ducentos nummos se daturum esse. Itaque senex non iam dubitat, quin Chrysalus verum dixerit. Filio non convento — cf. „aequomst tabellis consignatis credere!" — Chrysalo pecuniam, qua opus est filio, tradit et ipse ad forum abit, ut alteros ducentos militi solvat. Itaque omnia patefiunt.

Ergo centonem non esse hanc fabulae partem apparet. Neque ullum contaminationis vestigium in compositione eius ipsa deprehenditur. Sed singula Fraenkelii argumenta perpendamus. Primam fraudem narrationem de lembo ducendam esse, Fraenkelius recte contendit[1]). Sed altera actu IV toto continetur! Quanam in re positae sunt eius tricae? Nonne in eo, quod fingitur filium corrupisse nuptam mulierem? Senex ad hanc opinionem perducendus est; quod fit et Chrysali praestigiis in scaena et filii epistula altera, cuius „confessione" filius ipse servuli fallacias sancit. Senex duplici quasi impetu petitur, altero iam labefactatur, sed etiam tum stat, altero plane pervortitur. Hanc comparationem ea exprimere, quae poeta spectaverit, e. v. 709 ss. elucet, quos Fraenkelius sane Plauto ipsi vindicat. Altera igitur via (cf. v. 692) est fictio, ut ita dicam, illa, qua filium nupta cum muliere cubare fingitur. Ea comparatur et pecunia militi debita et altera Mnesilocho in sumptum. Primum senex narratiunculam de lembo pro vera accipit, alterum credit nuptam mulierem esse filii amicam. Utrumque ei credibile facit servus, a quo eadem de causa fabula nomen cepit: Δὶς ἐξαπατῶν. Ergo non dubium esse potest, quin Chrysalus sit δὶς ἐξαπατῶν cf. bis ludos factum esse. Quod senis marsuppium bis quasi sanguinem mittit, hoc αἱ ἀπάται non tanguntur. Fraenkelius conicit Menandrea in fabula, qualem existimat, post v. 904 Nicobulum domum in-

[1]) Ceterum hoc iam Baarius p 62 adn. 2 adnotaverat, cuius „futtilitatem" Fraenkelius castigat.

travisse, ut pecuniam efferret, et redisse paulo post in scaenam et in fine scaenae abisse ad forum, ut militem quaereret. Qua in coniectura ego quidem non intellego, cur poeta senem militi pecuniam in scaena post v. 880 solventem non fecerit, cum eum sequi statim militem finxerit. Quod gratissimum futurum fuisse apparet. Neque tamen hoc fieri potuit, cum miles ipse seni explanaret, „meretricem esse eam, quam ille uxorem esse aiebat." Itaque senex militi non ilico in scaena sed postea „in foro" satisfacit. Tempus igitur habet resipiscendi. Et colligit animum perturbatum (cf. v. 920 ss. quos non dabo temere etc.). Hoc esse ψυχικῶς optime inventum nemo neget (cf. primam fraudem, cf. primam epistulam). Denique, quod in Chrysali cantico IV, 9 tria Ilii fata in Nicobulum transferuntur, hoc levius est neque quicquam valet ad dolos: τὰς ἀπάτας.

Ne plura, Fraenkelius quoque fabulam contaminatam recte non dixit. Quamvis primo obtutu probabilis videatur eius sententia et accomodata sit ad persuadendum, tamen compositione fabulae severius examinata repudianda est. Fabulam mere translatam esse apparet! Bis non solum artificio epistulae sed etiam castigationis uti, quod Fraenkelium fugit cf. finem sc. III, 3 et IV, 8, Menandrum dedecuisse ego quidem non existimo; eum hoc se indignum non iudicavisse e fabula ipsa efficitur. Ceterum scaena, qua alter epistula redditur, lepidissima est; servus simulat se abire malle, cum metuendum sit, ne argumentum epistolae simile sit prioris; sed senex, qui sane idem opinatur, eum manere animumque attendere iubet etc. Et Fraenkelius ipse extollit „eximiam epistulae venustatem."

Itaque, cum evicerimus fabulam contaminatam non esse, Graeci exemplaris tempus definiendum est. Quod ad statuendum plurimum nos iuvat, quod nulla in fabula Plautina saepius variae res mythologicae strictim tanguntur: cf. fr. 1 Ulixes, v. 111 Lycurgus (?), v. 155 Hercules et Linus (cf. etiam v. 437—450), v. 156 Phoenix, v. 241/2 aries Phrixi, v. 275 Autolycus, v. 810 Bellerophontes, sc. IV, 9 Chrysali soliloquium, quod totum versatur in mythologicis (cf. etiam v. 987/8, v. 1053/4). Haec ad Menandrum ipsum redire negari non potest, etsi alia cf. exempli causa v. 665 s. (Herculem fecit ex patre: / decumam partem ei dedit etc.) Plauto ipsi addicenda sunt. Sed talia mediam comoediam redolent! Ex quo efficitur Disexapatonta in prioribus Menandri fabulis habendam esse. Cum hoc consentiunt v. 911 s.:

satin est si plura ex me audiet hodie mala
quam audivit umquam Clinia ex Demetrio.

quod ad Demetrium Phalereum spectare verisimillimum est[1]). Fabula igitur Graeca docta est inter annos 317/7. Sed propius ad annum 307 descendendum est, cum parasiti et militis partes iam quasi palluerint (cf. Colacem fabulam). Fabula est τῶν μέσων. Quae cum ita sint, haerendum non esse apparet in ultimae scaenae scurrili stilo. Etiam in fabula Periceiromena docta a. 305/4[2]) iocularia quaedam inveniuntur (cf. scaenam Moschion, Davus v. 77 ss. (τυροπωλεῖν!), cf. embolion, quo miles cum satellitibus ridiculis („Löffelgarde", cf. Ter. Eun. sc. IV, 7 e Colace sumptam) et cum fidicina, quae signum proeliandi canere iubetur, domum vicinam oppugnaturus est, v. 217 ss.). Artificia, quibus Menander ultima scaena usus est, etiam aliis in fabulis reperiuntur. Illud: „dimidium auri redditur" exstat in Pseudoli v. 1328 et abitum eundem habes iocosum in Truculento fabula, cuius in fine Phronesium e scaena abit dextra altero amatore, sinistra altero innisa. Pater filiusque rivales quamquam Terentianis in fabulis non inducuntur, tamen apud Plautum prodeunt in Asinaria, Casina, Mercatore. Hoc artificium satis scurrile esse patet, neque tamen fieri potuit quin poeta, quicumque id adhibuit, hunc in scopulum incideret. Quod meretrices senes cum ovibus comparant, conferendi sunt Trinummi versus 169 ss. non ita ioculares; quod senes comparationem mutuantur, eo poeta rabidos saevosque eos non inepte depinxit[3]).

Ergo Stichus Plautina (Ἀδελφοὶ β) inter τὰ πρῶτα Menandri et Bacchides (Δὶς ἐξαπατῶν) inter τὰ μέσα et priores quidem eorum fabulas referenda est. Itaque quaestionem, in quam inquisivimus, quid statuendum sit de quibusdam scurrilibus in fabulis Plautinis artificiis, iam solvimus: magis scurrilis Terentiano stilus Plautinus maxima e parte ex eo repetendus est, quod Plautus aliorum poetarum fabulas Menandreis praetulit et, si quando Menandream sibi sumpsit exprimendam, eam e prioribus elegit;

---

[1]) cf. Hueffner. p. 35 ss.

[2]) cf. A. Koerte, Menandrea² praef. p. XLIII.

[3]) Ceterum eodem artificio, quo saevitiam quarundam personarum exprimebat, etiam noster Fridericus Reuter usus est: „Ut mine Stromtid" cap. 12 „Det Rangdewuh in 'n groten Watergraben": „Nun hat dich aber der Drache, mein Sohn! Nun hat dich aber der Drache!" „Und nu kommt das Rindvieh!" brüllte Bräsig.

contra Terentius in stilum τῶν τελευταίων Menandri suum conformavit! Nisi hoc modo non explicandas esse stili differentias inter Plautinas et Terentianas fabulas etiam ex aliis quibusdam artificiis scurrilibus effici potest, de quibus insequenti capite mihi agendum est.

Caput V.

§ 1.

Primo loco pono artificium, quod nobis satis foedum esse videtur, παιδεραστικά apud Terentium et Plautum.

Terentii duo loci huc spectant, Eun. v. 479 et Ad. 532. V. 532 Adelphorum, quem Syrus loquitur, ambiguus est; Eun. v. 479 militis inurbani mores depinguntur. Utrum Terentius haec lumina ipse inseruerit — Eun. sc. III, 2 maiorem partem ipse fecit — an iam Menander ea suis in fabulis, Adelphis I, Colace, adhibuerit, incertum est. Sed Plautinae fabulae eiusmodi iocis refertae sunt. Exordiar e locis, qui imprimis offendunt. Sc. II, 2 Persae fabulae Sophoclidisca puero delicato Paegnio ea suadet, quae aliis in fabulis (cf. Asin. 539, Most. 194 ss., Ter. Hec. I, 1) lena vel ancilla meretrici; eiusdem fabulae sc. II, 4 Paegnium et Sagaristio convicia invicem in se ingerunt et v. 284 ss. alter alteri pudicitiae iacturam opprobrat; in fine fabulae par nobile amantium in scaena versatur: Sagaristio et Paegnium (cf. v. 767); denique v. 804, 846, 848 notandi sunt. Omnes hae scaenae cum ceteris fabulae partibus laxe cohaerent, ut haud difficulter secerni possint; sed eas ad Graecum exemplar — μέσης fabulam — redire apparet. Pseudoli sc. III, 1 puer misellus, lenonis servus, in scaenam prodit; queritur fortunam suam, qui nullum habeat munus natalicium, quo erum donet, et vapulaturus sit ob id; se cogitare profitetur de quaestu corpore faciendo neque tamen ullum invenire posse amatorem. Etiam hanc scaenam, quamvis iocularis sit et supervacanea, iam Graeco in exemplari fuisse negari non potest, cum et v. 314 et v. 1178 ss. hoc artificium non spernatur. V. 1178 ss. Simo significatione contentus est sed leno eam copiosius explanat. Ita saepius obscurae personae talia loquentes inducuntur. Sc. IV, 2 quoque Mostellariae nihil est nisi embolium; alter advorsitor alteri obicit eum cum ero consuevisse (cf. etiam v. 947). Similem coniunctionem inter erum et servos proponunt Rud. v. 1072 ss. (cf. Merc. 204)

et Cas. v. 453 ss., qui maxime scurriles sunt, cf. etiam v. 362 et 812. Asinariae v. 627, 639 ss.; Aulaulariae v. 283 ss., 422, 637; Cistellariae v. 231 s. („fortis“ ambiguum est, „ἄλκιμος“!); Menaechmorum v. 514; Mercatoris v. 310, 769; Militis v. 1111, Poenuli v. 1317/8 notasse satis habeo. Quid de Captivorum fabulae ad pudicos mores factae versibus 867, 966 statuendum sit, incertum est; eos non adiudicandos esse Plauto ego quidem pro certo habeo. Curc. v. 38 Palinurus erum de puerorum amore praemonet. Denique Truculenti v. 149 ss. σύγκρισις datur puerorum delicatorum et meretricum; Diniarchus, ut est probus, confitetur: utrosque pergnovi probe.

Antiquam comoediam, ut in deliciis habuit res obscaenas, ita etiam paederasticis floruisse nemo ignorat[1]). Contra Plutarchus de comoedia Menandrea notissimo loco (Quaest. conv. 712c IV p. 290 B.) haec scribit:

ἔχει δὲ καὶ τὰ ἐρωτικὰ παρ' αὐτῷ καιρὸν πεπωκόσιν ἀνθρώποις . . . οὔτε παιδὸς ἔρως ἄρρενός ἐστιν ἐν τοσούτοις δράμασιν κ. τ. λ.

Sed haec de Menandro dicuntur, non de nova comoedia! Poetarum enim aequalium eius Diphilus fabulam conscripsit Paederastas, cuius frustulum iam supra (cap. II, § 2 — est e convivio exscriptum) attuli. Et apud Alexidem hoc legis fragmentum fr. 242 II p. 385 fabulae Hypni:

διὰ ταῦθ' ὁ πόρνος οὗτος οὐδὲ τῶν πράσων
ἑκάστοτ' ἐπιδειπνεῖ μεθ' ἡμῶν. τοῦτο δ' ἦν,
ἵνα μή τι λυπήσειε τὸν ἐραστὴν φιλῶν.

Antiphanes fecit fabulam Paederastam (fr. 181 II p. 85) et aliam Ganymedem (fr. 73/74 p. 40 ss.). Anaxandridis fr. 33 p. 147 v. 12 ss.; fr. 34 p. 148 v. 9, fr. 41 p. 151 ss. v. 61 ss. huc spectant. Eubuli fr. 11 p. 168 Callistratus καλόπυγος castigatur; fr. 130 p. 210 praetereundum non est neque fr. 120 p. 207, satis scurrile, quo de Achivis Homeri haec explanantur: v. 4 ss.:

ἀλλ' οὐδὲ μίαν ἄλλην ἑταίραν εἶδέ τις
αὐτῶν, ἑαυτοὺς δ' ἔδεφον ἐνιαυτοὺς δέκα.
πικρὰν στρατείαν δ' εἶδον, οἵτινες πόλιν
μίαν λαβόντες εὐρυπρωκτότεροι πολὺ
τῆς πόλεος ἀπεχώρησαν, ἧς εἷλον τότε.

Ceterum Eubulus, ut Antiphanes, fabulam condidit inscriptam

[1]) cf. exempli causa etiam Euripidis Cycl. v. 576 ss., quibus Cyclops ebrius Sileno, quem pro Ganymede habet, vim infert.

Γανυμήδης (fr. 17/18 p. 171). Denique Amphidis fr. 15 p. 240, Nicostrati fr. 32 p. 228, quo sermo esse videtur de puero delicato, Timoclis fr. 30 p. 464, quo Misgolas παιδεραστής stringitur, afferendi sunt. Tertio igitur ut supra in fine capitis II et in capitis III altera parte hic ordo constitui potest: Plautus — Diphilus — μέσης poetae — antiqua comoedia. Menander iuvenis in eo collocandus non est, nisi verba Plutarchi cum grano salis intellegenda sunt. Eum quoque ambiguitates quasdam (cf. Ter. Ad. 532, Cist. 231 s.) admisisse mihi quidem persuasum est. Sed utut res se habet, ea, quae Plutarchus de decoro Menandreo dixit, non referenda esse ad ceteros νέας poetas apparet. Ergo Plautus etiam in hoc artificio nisi exempla Attica non secutus est.

§ 2.

Haud difficilior est quaestio de vapulantium in scaena[1]) artificio, ad quod nunc transimus, neglectis omnino illis locis, quibus sermo est de verberibus et acceptis et futuris, ne longior fiat disputatio.

Apud Terentium in Eunucho Dorus in fine interrogationis (cf. v. 716) plagam accipit, priusquam domum dimittitur; in Phormionis sc. V, 8 rixa inter Chremetem et Demiphonem et Phormionem in verbera exit; in Adelphorum sc. II, 1 leno pugnis pectitur. Sed multo saepius apud Plautum vapulantes γελοίου χάριν inducuntur! Amphitruone in fabula (cf. sc. I, 1) Sosia a Mercurio misere mulcatur, dum concedit se non iam esse Sosiam. Asinariae sc. II, 4, qua Pseudo-Saurea prodit, Leonidas dignitatem suam commenticiam minis plagisque ostentat. In Aulularia Euclio anxius in verbera effunditur (cf. sc. I, 1; III, 1; IV, 4). In Casinae sc. II, 6 Chalinus ab Olympione et invicem Olympio a Chalino vapulat et sc. IV, 4 „Casinus“ et Lysidamum et Olympionem, qui eum subigitant, cubiti ictibus petit. Curculione in fabula Palinurus (cf. v. 195) et Curculio (cf. v. 626) colaphis percutiuntur et sc. V, 3 leno verberibus caeditur. Menaechmorum in sc. V, 7, 8 magnae fiunt turbae; Messenio Menaechmum Epidamniensem e manibus servorum eripit, quos senex allegavit, ut generum vincirent, quem pro insano habet. Militis Gloriosi actu V miles ipse moechus manufestarius verberibus mollitur. Mostellariae sc. I, 1 Tranio Grumionem verberat.

[1]) cf. Dieterich., Pulcinella, p. 140 et adn. 2.

Persae in fine leno mulcatur. Poenuli sc. I, 2 Milphio ab ero amanti plagis operitur. Pseudoli v. 155 leno tergino servum caedit. Rudentis sc. III, 4 leno plagis admonetur, ne asylum vi violet.

Ergo plerumque obscurae personae, servus, leno, parasitus, plagipatidae sunt, neque tamen seni parcitur (cf. Casinam et Asinariae ultimos versus). Ut fr. 457 p. 130 praeteream, apud Menandrum ipsum in fabula Samia Parmeno servus ab erili filio colaphis infringitur (cf. v. 334); eiusdem fabulae v. 225 ss. contendendi sunt cum Phormionis v. 989 ss. Sed multo gravius est, quod Terentius ipse confitetur, se scaenae scurrilis II, 1 Adelphorum maximam partem e Diphili fabula quadam transtulisse; quo, cum scaena non dissimilis sit Rud. v. 706—838, etiam ceterarum Graeca origo confirmatur scaenarum, quibus Plautus hoc artificium adhibuit. Apud ἀρχαίας poetas artificium servi spectatorum gratia vapulantis tam usitatum erat, ut iam Aristophanes inveheretur in collegas, qui inducerent τοὺς δούλους . . . τυπτομένους ἐπίτηδες, (cf. Pac. v. 742 s.). Attamen, etsi Aristophanes talia a se aliena esse ponit, affatim etiam eius in fabulis verberatur. Joculare est embolium, quo Dionysus et Xanthias verberibus interrogantur, qui sit verus deus (cf. Ran. v. 605—673). Acharnensibus in fabula (cf. v. 824 ss.) sycophanta per agoranomum (i. e. τρεῖς τοὺς λαχόντας τούσδ' ἱμάντας ἐκ Λεπρῶν, v. 724) e scaena expellitur; Equitibus in fabula Cleon vapulat (cf. v. 451 ss.); in Nubibus Strepsiades pater a filio misere mulcatur (cf. v. 1321 ss.) etc. Ergo, Plautum etiam hoc in artificio vestigia exemplorum Atticorum pressisse apparet.

§ 3.

Ut hoc artificium aliaque, de quibus supra disseruimus, ita etiam bomolochi partes et, quae ab eo nomen traxerunt, bomolochiae quasi elementis comoediae annumerandae sunt. Quae quid valuerint in antiqua comoedia, iam Suessius[1]) demonstravit fabulas Aristophaneas perscrutatus. Etiam huius artificii residua apud Plautum exstant, de quibus hac parte pauca dicam.

Amphitruone in fabula servi et Mercurius et Sosia (cf. sc. I, 3, III, 6 — sc. II, 1, II, 2)[2]) bomolochi partes agunt et scaenae

[1]) Capite IV dissertationis: Symbolae ad originem Pulcinellae graeci cognoscendam, p. 55 ss.

[2]) De sc. II, 2 cap. VI plura dicam.

illius, qua ambo una in scaena versantur, altera pars (v. 263—462) bomolochiis distenta est. In Asinaria item servi Leonidas et Libanus bomolochiis spectatores delectant et tanto studio earum tenentur, ut alter alterum admoneat, ut iam desinat: v. 307 (sc. II, 2, qua servus currens prodit) verbivelitationem fieri compendi volo, v. 330 (eiusdem scaenae) mitte ridicularia (cf. etiam Aristoph. Plut. v. 316 s.: ἄγ' εἶα νῦν τῶν σκωμμάτων ἀπαλλαγέντες ἤδη κ. τ. λ.), v. 578: iam omitte ista, v. 605 sermoni iam finem face tuo, v. 731 satis iam delusum censeo. His omnibus embolia scurrilia finiuntur. In Aulularia coqui et servus sc. II, 4—6 satis infacetum in modum cavillantur spectatorum gratia; contra Lyconidis servus, cum argutias v. 818 s. blateret, statim admonetur: iamne autem ut soles deludis (τὰ εἰωθότα! cf. Arist. Ran. 1). Sed quid refert omnes locos enumerare, cum unaquaque in fabula bomolochiae reperiantur et in eis ipsis posita sit illa vis comica, quae in Plauto iam antiquis temporibus efferebatur. Graviora quaedam, e quibus ratio poetarum appareat, addidisse satis habeo.

Bacchidum v. 203 Pistoclerus Chrysali cavillationes praecidit: iamne ut soles? (τὰ εἰωθότα!) neque aliter Hegio lorarii argutias Captivorum v. 125: sed satis verborumst.; similia haec legis Curculionis v. 245: aufer istaec quaeso (sc. II, I Cappadox, Palinurus), v. 453: nil moror (sc. tuas nugas; Curculio apud trapezitam gloriatur de rebus ab ero ficto gestis), Epidici v. 39: supersede istis rebus iam (Thesprio ad Epidicum sc. I, 1), v. 454: hic non est locus (sc. tuas virtutes praedicare; Periphanes ad militem sc. III, 4). Mercatore in fabula sc. I, 2 (servus currens) in embolio longam post rixam verborum haec dicuntur: v. 160:

dormientis spectatores metuis ne ex somno excites?

In Mostellariae sc. I, 1 Tranio Grumioni suadet: v. 60:

orationis operam compendi face

aliaque profert, ut eum a conviciis deducat; „molestus ne sis" v. 771 Tranioni nuganti inclamatur. Poenuli in sc. I, 2 erus ipse βωμολοχεύεται et, cum servus ei hoc opprobret, respondet (v. 280): de te quidem haec didici omnia. Pseudoli in scaena I, 1 Calidorus Pseudoli bomolochiis opponit: ludis me ludo tuo (v. 24). Denique Trinummi in sc. I, 2 haec legis: v. 66:

sed hoc animum advorte atque aufer ridicularia.

Ergo niduli bomolochiarum, ut ita dicam, saepius inveniuntur — servus bomolochus usitata erat persona —; itaque haud difficile erat et quaedam iocis iam congestis addere et ea omnino

delere. Hanc viam, ut alia embolia scurrilia suis e fabulis exclusit, Menander ingressus est[1]); quo factum est, ut apud Terentium bomòlochiae non exstent. Illam Plautus iniit; nam ioca quaedam e verbis ipsis petita excogitare non potuit nisi poeta, qui lingua Latina utebatur; sed eis ipsis in locis iam exemplis in Atticis similia eum legisse, quibus excitaretur ad alia ioca de suo addenda, consentaneum est. Luculentum exemplum habes in Amphitruonis sc. I, 1, cuius maximam partem redire ad exemplar Atticum Siewertus[2]) demonstravit. Versus enim 304/5 hic sunt:

formido male
ne ego hic nomen meum commutem et Quintus fiam e Sosia.

Quae verba exemplo in Attico fuerint, ex insequentibus versibus 306/7 apparet:

quattuor viros sopori se dedisse hic autumat:
metuo, ne numerum augeam illum.

Plauto, cum redderet Graecum illud: „πέμπτος γενήσομαι" Latine: „quintus fiam", iocus ille: „Quintus fiam e Sosia" ultro se obtulit. Sed in eo quoque vestigia exemplorum Atticorum pressit! Conferas velim hos locos:

Stich. v. 631: nam ego nolo ex Gelasimo mihi fieri te Catagelasimum.
Bacch. v. 53: ... quia, Bacchis, Bacchas metuo et bacchanal tuom (cf. etiam v. 371).
Bacch. v. 240: ... opus est chryso Chrysalo (cf. etiam v. 704).
Truc. v. 77 s.: Phronesium / suom nomen omne ex pectore excussit meo.
Poen. 886: ... ex Syncerasto Crurifragium fecerit (Plautus Graeci exemplaris iocum plane reddere non potuit).
Pseud. v. 192 s.: ut civitas nomen mihi commutet meque ut praedicet / lenone ex Ballione regem Jasonem.
v. 229: cras, Phoenicium, poenicio corio invises pergulam etc.

Praeterea quod Most. v. 770 haec invenis:

quid? Sarsinatis ecquast? si Umbram non habes,

poetam Graecum lusisse verbis: Σκίαθος — σκιά verisimile est, et quod Men. v. 263 ss. e nomine oppidi Epidamni risus capitur, „quia nemo ferme sine damno hic devortitur", ego quidem con-

[1]) Sed cf. Periceiromenae scaenae: Moschion, Davus v. 77—100 (*τυροπώλει!* v. 100).

[2]) Plautus in Amphitruone fabula, quomodo ex. Gr. transtulerit, Diss. Berolin. 1894.

iciendum esse censeo Graeca in fabula Ἐπίδαμνος et δάμνημι contenta esse. Sed, quidquid de his locis iudicandum est, alia de suo Plautus addidit. Exempli causa ex Bacchidibus haec graviora exscripsi:

v. 55: magis inlectum tuum quam lectum metuo.
v. 129: non omnis aetas, Lyde, ludo convenit.
v. 283 ss.: adeon me fuisse fungum, ut qui illi crederem,
quom mi ipsum nomen eius Archidemides
clamaret dempturum esse, si quid crederem.
v. 362: facietque extemplo Crucisalum me ex Chrysalo.
v. 687: istoc dicto dedisti hodie in cruciatum Chrysalum.
v. 943: atque hic ecquos non in arcem, verum in arcam faciet impetum.

Sed etsi talia Menander eiusque sectatores rarius inseruerunt[1]), tamen latius patet hoc genus apud ceteros νέας et μέσης poetas. Diphili frg. 73 (Εὐριπίδην βάλλειν) iam supra exscripsi; Philippidis fr. 5 III p. 302 ex ambiguitate vocis: ὄρχις iocus petitur (ὄρχις = νεφρός = testis = oliva); frustulum est convivii descriptionis:

ἔπειτ' ἐπὶ τούτοις πᾶσιν ἧκ' ὄρχεις φέρων
πολλούς. τὰ μὲν οὖν γύναια τἄλλ' ἠκκίζετο,
ἡ δ' ἀνδροφόνος Γνάθαινα *γελασασα*
„καλοί γε", φησίν, „οἱ νεφροί, νὴ τὴν φίλην
Δήμητρα". καὶ δύ' ἁρπάσασα κατέπιεν
ὥσθ' ὑπτίους ὑπὸ τοῦ γέλωτος καταπεσεῖν.

Archedici fr. 1 III p. 276 δῖνος et δεινός opponuntur γέλωτος χάριν. Alexis fr. 112 II p. 337 „ludit in ambigua significatione vocis: κόρη"[2]), et fr. 182 p. 365 haeret in voce: συκοφάντης, v. 3 s.:

ἔδει γὰρ ὅστις χρηστὸς ἦν ἡδύς τ' ἀνὴρ
τὰ σῦκα προστεθέντα δηλοῦν τὸν τρόπον κ. τ. λ.

Aristophontis fr. 7 II p. 278 iocus „duplicis nominum κλείς (clavis — iugulum thynni) et ὀπτός (assatum — visibile) significatione continetur." Amphidis fr. 36 II p. 247 de cive oppidi Acanthi haec dicuntur: καὶ τοὔνομ' αὐτὸ τῆς πατρίδος ἐν τοῖς τρόποις ἔχεις. Anaxandridis quoque fr. 2 II p. 136, Anti-

[1]) Epitrep. 102: *οὐχ εὕρεσις τοῦτ' ἔστιν ἀλλ' ἀφαίρεσις.* Ter. Andr. 218: inceptiost amentium haud amantium. etc.

[2]) cf. Plautina: Curc. 313/14 ventum = adventum — ventum = ventulum, Truc. 262 eiram — iram etc.

phanis fr. 55 v. 10—13, fr. 127 (ἴγδις — θυία), fr. 68, quo pisces ἀνθρωπόφαγοι appellantur, quia homines eis vescantur, huc spectant et fr. 220 p. 108:

ἔμμητρον ἂν ᾖ τὸ ξύλον, βλάστην ἔχει.
μητρόπολίς ἐστιν οὐχὶ πατρόπολις πόλις.
μήτραν τινὲς πωλοῦσιν ἥδιστον κρέας.
Μητρᾶς ὁ Χῖός ἐστι τῷ δήμῳ φίλος.

Itaque Plautum exemplorum suorum stilum, non dico: Menandreorum, nec depravavisse nec corrupisse concedendum est; talia ioca non spreverunt νέας poetae: Diphilus, Philippides aliique; et quod Plautus quaedam de suo inseruit, ea νέας naturae apta sunt minimeque ei repugnant.

§ 4.

Itaque efficitur ex eis, quae adhuc evicimus, viros doctos quosdam non recte iudicavisse de artificiis quibusdam scurrilibus, quae tractaverunt. Nec K. Weißmann servi currentis personam satis iocularem a comicis Romanis inventam esse recte contendit nec K. Schmidt iure nomina contorta, quae in fabulis Plautinis exstant, a nova comoedia abiudicavit. Quod apud Menandrum Graecis in fabulis servus currens non invenitur, ex hoc de ceteris νέας poetis nihil concludi potest[1]). Et Schmidtius ipse concedit Plautinam rationem nomina illa contorta componendi similem esse Aristophaneae; itaque mihi quidem non dubium est quin Plautus nomina illa iam in exemplis suis Atticis legerit. Menander quidem eumque secutus Terentius, ut artificia nimis scurrilia sprevit, ita simplicibus sollemnibusque nominibus usus est. Ceterum nomina illa nobilia ex parte inde explicanda sunt, quod fabularum quarundam personae summo loco natae finguntur, quo spectatoribus Atticis, ut erant plerique tenui victu, heluones et nepotes luxuriose cum meretricibus viventes acceptiores fiebant. Exempli causa cf. Most. v. 1141 de Philolachete:

numquid aliud fecit nisi quod summis gnati generibus.

Nonne magis iocularis visa est τοῖς πολλοῖς fabula, in qua primarias partes agebat Argyrippus[2]) (cf. Asinariam, cuius argumentum scurrile mire discrepat a nobili iuvenis amatoris nomine). „Spectatoribus Atticis" modo scripsi, nam Romanos hanc malitiam intellegere non potuisse apparet.

[1]) cf. etiam O. Schroeder, Novae comoediae fragmenta etc. p. 13.

[2]) cf. Aristoph. nub. 63 ss. Strepsiadis verba de uxore nobili genere nata:
ἡ μὲν γὰρ ἵππον, προσετίθει πρὸς τοὔνομα
Ξάνθιππον ἢ Ξαίριππον ἢ Καλλιππίδην κ. τ. λ.
κοινῇ ξυνέβημεν κἀθέμεθα Φειδιππίδην.

Sed etiam alia artificia inveniuntur, quae neglegenda non sunt. Satis scurriles sunt scaenae, quibus complexus amantium in scaenam deducuntur. Stichi, Persae, Asinariae fines iam supra attuli (cf. cap. II § 1) neque aliter Mostellariae sc. I, 4 (Callidamates, Delphium). Asinariae sc. III, 3, dum servi colloquuntur, Argyrippus meretricem amplectitur, nimirum iocularem in modum, et eadem in scaena postea concedit, ut Philaenium Leonidam osculetur. Curculionis sc. I, 3 Phaedromus et Planesium ardentibus osculis amorem satiant; item desiderium Hanno, filiae, Agorastocles Poen. v. 1260 ss. Elegantiores sunt sc. II, 4 et II, 6 Truculenti. Contra scurrilis est Casinae sc. IV, 4, in qua Lysidamus et Olympio Casinum subigitant. Talibus scaenis quasi resonant ἀρχαίας embolia, quorum exemplum habes Aristophanea in Lysistrata cf. v. 829 ss. (Cinesias, Myrrine!).

Ad antiquum exemplum etiam Asinariae sc. III, 3 redit, qua Argyrippus servum umeris vehit et in scaena huc illuc circumcursat, cf. vasculum Berolinense 1697 Furtw.[1]). In Bacchidibus similiter Pistoclerus minatur (v. 511): tollam ego ted in collum atque intro hinc auferam.

Deinde Aul. v. 250 s. haec legis; Euclionis sunt verba:

si hercle ego te non elinguandam dedero usque ab radicibus
impero auctorque ego sum, ut tu me quoivis castrandum loces;

et in Mercatore, postquam Demipho somnium enarravit, v. 272 ss. haec dicuntur:

profecto ego illunc hircum castrari volo etc.
— nec omen illud mihi nec auspicium placet:
quasi hircum metuo ne uxor me castret mea etc.

Quibus cum locis (cf. etiam Asin. v. 237) congruit Militis Gloriosi actus V, quo miles moechus in scaenam detrahitur, ut castretur, et iam culter exacuitur. Etiam novae comoediae fabulis in quibusdam histriones phallo ornatos prodisse Skutschius monuit[2]), cf. Aul. v. 641, Most. v. 328, Rud. v. 422, Mil. v. 1021 s.

[1]) cf. Poppelreuter., de comoediae Atticae primordiis Diss. Berolin. 1893 p. 8 ss. et Aristophanis Equites (v. 595 ss.).

[2]) cf. Opuscula minora p. 193 adn. 3.

Denique de artificiis scurrilibus, quae in Casina adhibentur, disserendum est. Patrem filiumque rivalem reperis in Asinaria, Bacchidibus, Mercatore; item uxorem aemulam in Asinaria, Menaechmis, Mercatore, Phormione Terentiana. Eius est archetypa Praxagora Ecclesiazusarum: v. 718 ss.:

ἔπειτα τὰς πόρνας καταπαῦσαι βούλομαι
ἁπαξαπάσας. — ἵνα τί; — δῆλον τουτογί·
ἵνα τῶν νέων ἔχωσιν αὗται τὰς ἀκμάς.
— καὶ τάς γε δούλας οὐχὶ δεῖ κοσμουμένας
τὴν τῶν ἐλευθέρων ὑφαρπάζειν Κύπριν κ. τ. λ.;

senis illius Philocleon Vesparum, qui fidicinam e convivio subducit cf. v. 1335 s. Vicinum senem amantem adiuvantem habes in Lysimacho Mercatoris fabulae. Sortitio, qua Casinam sortiuntur, aliis in fabulis Atticis, quod scio, non exstat; sed simillima est sc. II, 3 Mercatoris. Ceterum sortitionis artificio iam Homerus usus est Iliadis libro VII (v. 170 ss). Habitus vestitusque mutantur in Curculione (Curculio = cacula), in Milite (Pleusicles = nauta, cf. etiam Asin. v. 67 ss.), in Persa (Sagaristio = Persa), in Poenulo (vilicus Collybiscus = miles), in Pseudolo (Simia = cacula), in Trinummo (sycophanta = peregrinus adventor), in Eunucho Terentiana (Chaerea = eunuchus). Et iam Aristophanes in Thesmophoriazusis Mnesilochum mulieris ornatum capientem fecit; conferendus est etiam eadem in fabula Euripides Menelai naufragi, Persei, lenae (!) partes agens, conferendae sunt Acharnenses (Dicaeopolis = Telephus mendicans), Ranae (Dionysus = Hercules), Ecclesiazusae (mulieres = cives comitiales) aliaeque fabulae. Erat igitur hoc artificium valde tritum! Quod pro Casina alia persona („Casinus“) supponitur, conferas velim Alcaei comici fr. 23 I, p. 761:

μυρίσασα συγκατέκλεισεν ἀνθ' αὑτῆς λάθρα,

ad quod K. annotat: intellegenda videtur mulier, quae amatori aliam pro se mulierem subdebat. Quod Olympio Lysidamo ius primae noctis pollicitus et contra pactionem „Casina“ potiturus est, comparanda est fabula, quam narrant de Pelope, qui ipse quoque ius primae noctis Myrtilo concessit sed paulo post victoriam partam dolose eum de medio tollit, ne fidem praestet; quod argumentum comice tractaverunt Nicochares fabula Pelope (I p. 773), Antiphanes fabula inscripta: Οἰνόμαος ἢ Πέλοψ (II p. 81), Eubulus fabula eiusdem tituli (II p. 190). Haec artificia unam in fabulam conglutinata efficiunt Casinam Plautinam i. e. Diphileam Cleru-

menos. Nam Diphileam originem negare summae licentiae est, praesertim cum omnia fere artificia scurrilia, quae alicubi offendunt in fabulis Plautinis, in Diphili fragmentis inveniantur. In compositione fabulae ipsius nulla exstant contaminationis vestigia neque in eo est repugnantia[1]), quod Olympionem Lysidamo antevertentem induxit poeta in Casinae amore fruendo; iam sc. III, 6 et sc. IV, 4 hoc praeparatur. Ergo fabula tota ad Diphili exemplar redit, nisi quod Plautus ultimas scaenas resecuit; quod difficile non erat, ut erant compositae fabulae Diphileae; pro exemplo habeas Rudentem Plautinam.

Sed iam finem faciamus huius capitis. Eis, quae his partibus demonstravimus, confirmari thesin illam, quam in fine capitis IV posuimus, concedendum est. Sed restat ut de Amphitruonis Plautinae compositione pauca addam, cum eam contaminatam esse supra (p. 37 adn. 3) negaverim.

Caput VI.

Etiam Amphitruonem habendam esse in numero fabularum contaminatarum monuisse Th. Kakridis meritum esse, Leo adnotavit disputatiunculae, quam inscripsit „Über den Amphitruo des Plautus“[2]), p. 257 adn. 1, qua ipse quoque Kakridem secutus sed aliam viam ingressus fabulae Plautinae duo exemplaria Graeca diversa restituit. Kakridis[3]) ex eo, quod actus V scaenae, quibus Herculis ortus narraretur, arte cum ceteris fabulae scaenis non cohaererent, fabulam contaminatam esse conclusit Plautumque actum V altero ex exemplo transtulisse. Hunc fere in modum argumentatur: Iovem nocte illa, quae Amphitruonis reditum antecedat, cum Alcumena cubare; quam noctem appellari: νὺξ μακρά, nuptiarum noctem Iovis; sed iam postridie Herculem et Iphiclem in lucem edi et, quamquam praegnantem esse saepius declaretur Alcumenam, tamen eis ipsis in scaenis, quibus commemorandum fuerit hoc neglegi cf. sc. I, 3; II, 2 (Alcumenae maestae querimonias).

Noctem longiorem habes in v. 113 (prologus), 270—290

---

[1]) Hoc contendit Schmittius, De Pseudoli Plautinae exemplo Attico, Diss. Argentorat. 1909 p. 62, qui quidem in aliis Leonem non secutus est.

[2]) N. G. G. 1911 phil.-hist. p. 254—262.

[3]) Rh. M. 57 (1902) p. 463/5.

(sc. 1, 1), 546—550 (I, 3); graviditatem Alcumenae invenis in prologo, tum in v. 479 ss. (I, 2), 450/1 (sc. I, 3), 664/74, 681, 718/24 (hos sc. II, 4), 879 ss. (sc. III, 1), 1039 (sc. IV, 1). Hos locos, quibus graviditas profertur, Plautum addidisse Kakridis contendit, ut actum V ex altero exemplari sumptum cum alterius exemplaris partibus coagmentaret. Sed, quamquam ea, de quibus exorsus est, Leoni probavit, Leo in analysi, ut hoc vocabulo utar, fabulae eum secutus non est, qui contra sc. I, 3 et II, 2 alteri exemplari tribuit, cuius propria fuerit nox longior. Duae igitur sententiae defenduntur contrariae; utriusque auctor fabulam duobus ex exemplis Graecis contaminatam esse dicit, sed alius alias scaenas exemplari secundario adiudicat.

Eis, quae Leo posuit, iam Wilamowitzius[1]) oblocutus est, cui Krollius[2]) assentitur. Sed etiam singula examinanda sunt et, si fieri potest, refutanda, praesertim cum Leo[3]) sua in sententia se perseverare affirmaverit aliosque ad eam perduxerit.

Leonis argumentatio pendet ex eis, quae de scaena II, 2 disseruit, quam utique discrepare et repugnare scaenis I, 1 et II, 1 sibi persuasit. Itaque primo dicam de argumento scaenarum II, 2; I, 1; II, 1.

Sc. II, 1 Sosia Amphitruoni explanare studet, Sosiam alterum domi se invenisse. Amphitruo nimirum non intellegit, quid Sosia significet, quamquam servulus maxime dat operam, ut ei exponat Sosiam memet a Sosia misere vapulavisse. Amphitruo tumultuatur eique opprobrat, eum esse ebrium; sed iam se perspicere, quomodo se habeant res, existimat: v. 586/7:

qui quoniam e r u s q u o d i m p e r a v i t n e g l e x i s t i p e r s e q u i[4])
nunc venis etiam ultro inrisum dominum.

Sosia iterum se purgat; et quaestio habetur, in qua Amphitruo interrogat v. 616: sed vidistin uxorem meam?, ad quod Sosia respondet: quin intro ire in aedis numquam licitumst. Ergo hoc quidem Amphitruoni constare videtur, Sosiam Alcumenam omnino non vidisse. Insequenti scaena, cum Alcumena paterae donationem marito obicit, Amphitruo haec dicit v. 765/7:

[1]) B. A. 1911 phil.-hist. p. 485 s.
[2]) Teuffel.-Kroll. I p. 170.
[3]) Pl. F.[2] p. 185 adn. 2.
[4]) cf. etiam Mercurii verba, v. 469: neque credet huc profectum ut iusserat.

nimis demiror, Sosia,
qui illaec illic me donatum esse aurea patera sciat,
nisi tu dudum hanc convenisti et narravisti haec omnia.

Itaque Sosia denuo affirmat: v. 768:

neque edepol ego dixi neque istam vidi nisi tecum simul.

Haec Amphitruonis verba et Sosiae responsum absurda non esse apparet. Quae quomodo pugnent cum sc. I, 1, ego quidem non intellego. Nec magis perspicuum est, cur Leo in v. 795 ss. haereat. Sosia, cum Amphitruo cistella vacua reperta malum ei minetur, invicem erum criminatur v. 795 ss.:

me captas, quia tute ab navi clanculum huc alia via
praecucurristi[1]) atque hinc pateram tute exemisti atque eam
huic dedisti, post hanc rursum obsignasti clanculum.

Erus et servulus, alter alteri diffidit; alter ab altero in suspicionem vocatur! Immo, si A m p h i t r u o Sosiae crimini daret, quod c l a n c u l u m praecurrisset et Alcumenae omnia narravisset, Leoni adstipulandum esset. Nunc vero omnia optime inter se cohaerent! Servus eri adventum domum nuntiare iussus est; neque tamen mandatum exsequi potuit. Quod cum ero communicat aliis ineptiis, quas erus putat, additis; erus, quod minime mirum est, in suspicione permanet et servum iterum affirmare iubet, se cum domina locutum non esse. Omnia finguntur tam simpliciter et naturae humanae congruenter, quam fieri potest! Leo eo, quod sc. II, 1 praeteriit, facultatem ipse sibi ademit contextus scaenarum recte aestimandi. Tum in scaena II, 2 offendit in v. 654—58: „Amphitruo kündigt seinen Sieg an, wie wenn vordem im Stück noch nicht davon die Rede gewesen sei.“ Sed quam perperam iudicaverit vir doctus, e versibus ipsis apparet:

edepol me uxori exoptatum credo adventurum domum,
quae me amat, quam contra amo: praesertim re gesta bene,
victis hostibus: quos nemo posse superari ratust,
eos auspicio meo atque ductu primo coetu vicimus.
certe enim me illi exspectatum optato venturum scio.

His versibus animi affectus, quo rediens victor moveatur, depingitur; conscientia pulcherrimi facti uxorem se quam summis blanditiis recepturam esse sperat. Quod Amphitruo ipse res gestas memorat, hoc mirum non est; multo magis esset mirum contrarium.

[1]) cf. etiam Men. 1050 ss.: tu quantum potest / praecucurristi obviam, ut quae fecisti infitias eas. Messenionis sunt verba ad erum.

Itaque versus post sc. I, 1 supervacanei non sunt, quibus quasi prolusionem sc. II, 2 poeta edidit. Deinde Leo flagitat Amphitruoni sc. II, 2 succurrendum esse, sibi similia contingere ac Sosia perpessus sit. Sed Amphitruonem iam hac scaena obstupescentem poeta inducere non potuit. Sosiae verba non intellegit (cf. v. 626: qui, malum, intellegere quisquam potis est? ita nugas blatis) et uxorem pro fascinata habet (cf. v. 830 nescioquis praestigiator hanc frustratur mulierem). Cum Sosia memet, Mercurio, sc. III, 6 acerrima pugna ei pugnanda est; neque ea eum meliora edocet; fr. V, VI enim e scaena sunt, qua Amphitruo rationem eorum a Sosia reposcit, quae Pseudo-Sosia commisit. Amphitruo, qui sibi soli confidit et ceteros omnes insanos ducit, prius e tenebris non emergit, quam speculum sui ipsius vidit. Hac ipsa in re fabulae vis comica posita est. Si Amphitruo iam sc. II, 2 animadvertisset, similia sibi contingere ac Sosiae contigissent, fieri non potuit, quin in cogitationibus luctuosis defigeretur. Poetae igitur quam subtilissime animi aegritudines cruciatusque i. e. animi motus, qui Amphitruonem vexavissent, depingendi erant. Quod problema tractavit Menander fabula Epitrepontibus eumque secutus Apollodorus Hecyra (cf. Charisium-Pamphilum). Hac ratione hilaritatem fabulae eum turbaturum fuisse negari non potest. Itaque poeta, qui spectatorum risum solum spectavit, levius egit et tum demum Amphitruonem omnia perspicientem fecit, cum imaginem sui ipsius praesentem suis ipsius oculis vidisset. Quo efficiebantur turbae maximae scaenaeque satis ioculares. Ceterum neglegendum non est, Amphitruonem stupidi partes agere; quo explicatur, quod Amphitruo v. 1032 et 1072 senex appellatur, in quo Leo (p. 261 adn. 1) haesit. Amphitruo stupidus senex! Denique Leo ea de causa sc. II, 2 cum sc. II, 1 pugnare sibi persuasit, quod Amphitruo tota scaena II, 2 Sosia ita uteretur, ut alias erus servo familiari, quamvis aspere eum habuisset sc. II, 1. Sc. II, 1. ad finem quendam adducta est Sosiae verbis: v. 626:

> verum actutum nosces, quom illum nosces servom Sosiam.

quibus Sosia erum rogat, ne praeter rem ira se concitet; omnia patefore affirmat, ubi domum redierint. Quae Amphitruo tacite probat et respondet:

> sequere hac igitur me: nam mihi istuc primum exquisitost opus.

Hoc pax conficitur. Amphitruonis responsum sane non ita argute interpretandum est, ut Leo contendit, qui Amphitruoni reverso

alia graviora facienda fuisse scribit, praesertim cum exspectanda fuerit uxoris salutatio. Quo de scrupulo conferas velim v. 654 ss., quos supra exscripsi. Qui afferri iam debent; restat enim solum una ex omnibus suspicionibus, quibus se permotum esse Leo affirmat, scaenarum II, 2 et II, 1 pessimus contextus. Ex eo Leo omnino exorsus est. Ex versu 551 Amphitruo et Sosia in scaena versantur; post v. 632 Alcumena prodit cantatque canticum (usque ad v. 653); deinde maritum animadvertit, priusquam ipsa conspecta sit; quo facto etiam Sosia eam vidit Amphitruonemque ad eam advertit. Hoc esse contra comicorum rationem et consuetudinem Leo ponit haec proferens: Durchaus pflegt eine Person, die eine heraustretende oder herankommende, mit der sie zu tun hat, nicht gleich anredet, ihrem Monolog zuzuhören und dann zu ihr zu reden oder sich von ihr anreden zu lassen. Sed haec infirma sunt! Similiter res se habet in Mercatore cf. v. 830 ss.: Charinus post v. 830 in scaenam prodit et loquitur usque ad v. 841, deinde Eutychus domo egreditur et loquitur usque ad v. 850; v. 851 Charinus denuo incipit (— v. 863), semel ab Eutycho interpellatus; qui v. 864 demum haec dicit: „nescioquis vox ad auris mi advolavit.“ Alia afferre supersedeo; spectatores enim antiqui talibus rebus contra veritatis speciem positis assueverunt[1]).

Itaque concedendum est, sc. II, 2 nec discrepare a sc. I, 1; II, 1 nec repugnare eis. Juxta sc. II, 2 Leo sc. I, 3 collocavit, quarum utrique graviditas, quamquam saepius commemoretur, propria non esset; hos locos pro Plauti additamentis habet. Sed praeterita hac quaestione — paulo post plura de ea dicenda sunt — in sc. I, 3 et II, 2 nihil invenis, e quo colligi possit, eas esse alienas a ceteris fabulae scaenis. Ergo etiam ea, quae Leo p. 257—262 posuit, corruunt. Ceterum de eis, quae p. 261 articulo II scripsit, monendum est, ex Naucratis commemoratione non sequi, partes aliquas ei agendas esse; ea confirmatur Amphitruonis abitus; postea revertit et conceptis verbis declarat, se Naucratem non repperisse. „Naucrates“ igitur in aequo ponendus est cum „parasitis adventiciis“ Stichi fabulae, qui et ipsi nisi necessitati abitus personae cuiusdam probandi non debentur.

Leonis argumenta haud difficulter dissolvi potuerunt. Sed

[1]) cf. etiam Kroll. Satura Viadrina p. 59 ss.: „Scenische Illusion im fünften Jahrhundert.“

etiam Kakridis coniectura, e qua Leo profectus est, consideranda nobis est. Nox longior, νὺξ μακρά, nuptiarum nox Jovis — postridie ortus geminorum, de quibus haec proferuntur: v. 481 s.[1]):

alter decumo post mense nascetur puer
quam seminatust, alter mense septumo,

haec cohaerere non videntur! Sed quod Kakridis scaenas natalicias omnesque locos ad eas spectantes secernit et conicit Graeco in exemplari primario vatem Tiresiam vel Jovem ex machina omnia patefecisse et geminorum ortum futurum praedixisse, altera est via, qua quaestio solvi potest. Quam si probes, iam quaerendum est, quale fuerit exemplum B. Comica argumenti vis stat per duplices personas, Amphitruonem = Jovem, Sosiam = Mercurium. Itaque poeta cogebatur fingere Jovem paulo ante reditum mariti cubare cum Alcumena. Exemplum B. igitur simillimum fuisset nostrae fabulae, nisi quod poeta noctem nominare non debuerit longiorem. Ergo in illius commemoratione sola offendendum est! Huc accedit, quod prologo ipso Plautinae fabulae scaenae nataliciae indicuntur. Itaque Leo alteram viam ingressus est Kakridis coniectura silentio repudiata et scaenas exclusit ex exemplari primario, quibus νὺξ μακρά, longior nox, propria esset. Leonis sententiam retinendam non esse supra demonstravimus; Kakridis iam Leo non defendit. Itaque relinquitur, ut fabulam intellegamus, qualis exstat. Primo de fine! Si poeta narrationem de geminorum ortu portentoque anguium suam in fabulam inserere voluit, Tiresiam vel Jovem eam enarrantem facere potuit. Sed futuro tempore uso ei omnia referenda fuerunt! Quod difficillimum futurum fuisse apparet, ut erat materia amplissima. Vividissima tum demum narratio fiebat, cum arbiter testisque loquens inducebatur, cum portenta non decantabantur ut futura sed ut facta et visa depingebantur variis coloribus. Poetam hoc assecutum esse, quis est qui neget? Narratio, qua tempus futurum adhibendum erat, coercebatur ita, ut brevissima fieret. Pro frigidissima enumeratione habes optimam narrationem et, quod neglegendum non est, actionem motumque. Sed cum hac ratione usus est poeta, neglegentia praeteriit artificium noctis

[1]) V. 479—485 retractatori non tribuendi sunt, cum etiam prologi v. 107 ss. asseveretur, Jovem consuetudinem cum Alcumena etiam ante noctem longiorem habuisse. Quomodo hoc fieri potuerit, neglegitur; poeta tantum adicit: clam virum.

longioris; quod quid valuisset, minime tenuit. Enimvero facere non potuit, quin Jovem etiam nocte partum antecedente cum Alcumena accubantem induceret. Quid igitur obstabat, quominus eam longiorem diceret? Hoc modo et ioca quaedam scurrilia addere et Jovis abitum sc. I, 3 efficaciorem reddere potuit (cf. v. 270—290 et v. 546 ss., quibus Juppiter noctem cedere diei iubet). Jovis commorationem, Amphitruonis reditum, Alcumenae partum unum in diem artis dramaticae legibus coactus[1]) conferre debuit; quo explicatur, quod septem mensibus ante tempus, quo omnia facta finguntur, Jovem cum Alcumena clanculum consuevisse poeta proponit.

Exemplum Atticum conscriptum esse post Alexandri Magni tempora iam supra cemmemoravi. Ad quod redire etiam versicolorem quandam stili varietatem, quam Plautus diligentissime tantummodo expresserit, apparet. Finis enim fabulae et compositione et oratione simillimus est fabularum exitibus quibusdam Euripideis[2]) et pugnae descriptio tragicum prae se fert colorem. Sed pugnae descriptionis exordio adhibetur artificium, quo iam Epicharmus[3]) usus est; in scaenis quibusdam bomolochus prodit; scaenae I, 1 altera pars et sc. III, 6 ioculares sunt. Haec stili inconstantia ex parte explicanda est e fabulae argumento: tragicomoedia (cf. v. 59). Sed etiam temporibus, quibus comoedia magis magisque tragoedica elementa sua in scrinia sibi adscivit, aptam eam esse patet. Poetarum νέας imprimis proprius est Diphilo hic varius titubansque stilus, quo comica tragicis coloribus diluuntur harmonia colorum minime effecta cf. Rudentem Plautinam. Et in fragmentis Diphileis hoc exstat: fr. 30 II p. 549:

ὦ τόνδ' ἐποπτεύουσα καὶ κεκτημένη
Βραυρῶνος ἱεροῦ θεοφιλέστατον τόπον,
Λητοῦς Διός τε τοξόδαμνε παρθένε,
ὡς οἱ τραγῳδοί φασιν, οἷς ἐξουσία
ἔστιν λέγειν ἅπαντα καὶ ποιεῖν μόνοις.

[1]) cf. Polczyk., De unitatibus et loci et temporis etc. p. 28 ss.

[2]) cf. Fraenkel. p. 63 ss.

[3]) cf. Sudhaus., Pl. C. 43 adn. 1. Eodem artificio etiam Alexis usus est cf. fr. 186 II p. 366. Coquus obsonatus secum considerat, quomodo omnia apparanda sint:

ὅμως λογίσασθαι πρὸς ἐμαυτὸν βούλομαι
καθέζομενος ἐνταῦθα τὴν ὀψωνίαν
ὁμοῦ τε συντάξαι τί πρῶτον οἰστέον κ. τ. λ.

Epicharmus — Alexis — Plautus!

Quod non exscripsi tragici coloris causa — ceterum poeta non paratragoedat —; talia etiam apud ceteros comicos inveniri non ignoro. Sed hoc ex animi habitu, quem ultimi duo versus testantur, intelleguntur exitus comoediarum ut Amphitruonis finis et embolia ut pugnae descriptio in comoediam inserta. Poeta comicus demonstrare sibi proposuit, non solum tragicos poetas οἷς ἐξουσία ἐστὶν λέγειν ἅπαντα καὶ ποιεῖν μόνοις, sed etiam se ipsum quamvis comicum et deteriorem talia fingere posse. C. A. Dietze[1]) quidem de Philemone cogitat Graeci exemplaris auctore. Sed mihi multo verisimilius esse videtur fabulam Graece a Diphilo conscriptam esse, cuius cum scurrili stilo Amphitruonis stilus mire congruit. Diphilus quoque res mythologicas saepius tractavit (cf. Ἡρακλῆς, Θησεύς, Ἀνάγυρος (fortasse tamen scrib. Ἀνάργυρος. K.). Δαναΐδες, Λήμνιαι, Πελιάδες, Πύρρα). Sed res incertior est, quam ut disceptari possit. Verum tamen hoc constat fabulam Plautinam non esse contaminatam.

[1]) De Philemone comico p. 22.

Vita.

Bruno Prehn Brandenburgensis natus sum a. d. XIII kal. Quint. a. 1893 Frankofurti patre Friderico, matre Marie e gente Getzlaff, quos mihi superstites esse laetor. Fidem profiteor evangelicam.

Primis litterarum elementis imbutus in gymnasium patrii mei oppidi receptus sum et frequentavi gymnasium et Cottbusiense et Assindiense. Assindiae vere a. 1911 Siebourgii auspiciis testimonium maturitatis adeptus studiis antiquitatis me dedi per senos menses academiarum Jenensis et Berolinensis, per octo semestria almae matris Vratislaviensis civis. Docuerunt me viri doctissimi:

Jenae: *Diehl, Graef, Hirzel, Judeich;*

Berolini: *Dessoir, Diels, E. Meyer, E. Norden, Wentzel, v. Wilamowitz-Moellendorff;*

Vratislaviae: *Baumgartner, Cichorius, Cohn, Foerster, Gercke, Kaufmann, Kroll, Schrader, Skutsch, Stern, Stimming, Ziegler, Ziekursch.*

Proseminariis Jenensi, Berolinensi, Vratislaviensi absolutis quinque per semestria seminarii sodalis ordinarius fui *Ricardo Foerster, Alfredo Gercke, Guilelmo Kroll* gubernantibus. Ad seminarium archaeologicum *Foerster,* ad societatem Graecam *Gercke,* ad seminarium indogermanicum *Schrader,* ad seminaria historica *Cichorius, Kaufmann, Ziekursch* aditum mihi praebuerunt. Tria per semestria et senioris seminarii philologici et custodis musei archaeologici munere functus sum.

Omnibus viris doctis, quorum scholas audivi quorumque exercitationibus adfui, iustas habeo gratias. Summas autem et *Alfredo Gercke,* qui in materiis quibusdam dux mihi fuit praestantissimus, et *Ricardo Foerster,* qui semper benignissimum erga me se praebuit neque umquam, qua est singulari comitate, studia mea fovere desiit, et *Guilelmo Kroll,* quo auctore et rectore hanc dissertationem conscripsi, cuius liberalitatem semper pio gratoque animo tenebo.